I. N. J.

DISSERTATIONES PANEGYRICÆ

De

Græcorum Fide, ac

Religione Modernâ;

IN SOLEMNI PROMOTIONE
QVATUOR DOCTORUM
THEOLOGIÆ,
IN ELECTORALI ACADEMIA WITTEBERGENSI,
D. XXIIX. Novembris, Anno Domini cIↄ Iↄc LIIX.
IN TEMPLO ARCIS HABITÆ
AB

D. ABRAHAM CALOVIO,
Promotore,
&
D. JOHANNE MEISNERO,
Pro-Cancellario.

WITTEBERGÆ,
Sumptu & Typo MICHAELIS Wendt.
Anno M DC LXIII.

PRO-DECANUS
COLLEGII THEOLOGICI IN ILLUSTRI ACADEMIA WITTEBERGENSI,
JOHANNES MEISNERUS,
S. S. Theol. D. Prof. Publ. & Alumnorum Electoralium Ephorus, h. t. Academiæ RECTOR,
CIVIBUS ACADEMICIS S. P. D.

DOminus ac Præceptor noſter JESUS CHRISTUS, cùm, opere redemptionis in carne perfecto, ex terris corpore ſuo viſibiliter abiturus, atq; in cœlos rediturus eſſet, imbecillitatis humanæ & nequitiæ Diabolicæ memor, noluit committere, ut Eccleſiæ ſuæ Doctores deeſſent, qui eam verbo & Sacramentis paſcerent, & in fide ac moribus rectè informarent. Quare Apoſtolus, tùm aliis ad Evangelium prædicandum neceſſariis dotibus, tùm lingvarum omnium peritiâ temporis momento inſtructos, miſit, qui & verbum ejus per omnes gentes diſſeminarent, & curam omnium Eccleſiarum, quas plantarant, gererent, aliósq; ſucceſſores, & hi rurſus alios ſibi usq; ad mundi finem ſufficerent. Ante omnia verò panegyrin ſolennem, quam actum Doctoralem haud abs re appellare liceat, inſtituit, eosq;, quorum opera in fundandis Eccleſiis quibusdam hactenus uſus fuerat, Doctores creavit, ut non Hieroſolymis tantùm, & in Judæâ, Samariâ ac Galilæâ, ſicut anteà fecerant, ſed in totum terrarum orbem progreſſi, gentes omnes deinceps in nomen ſuum converterent.

Promotor igitur Christus, æternus Dei filius est, tantus ipse Doctor ac Theologiæ Professor, ut cæteros omnes, qui vel ante ipsum extiterunt, vel nunc vivunt, facile antecellat, quiq; optimè omnium de Doctoribus Ecclesiæ idoneis diligendis judicare poterat. Hic de potestate omnium ac divinâ majestate à supremo cœli terræq; *Cancellario* sibi concessâ præfatus: *Data est mihi omnis potestas in cœlô & in terrâ*, Matth. XXVIII. 18. Apostolos ex æquo omnes, satis anteà exploratos, dignos pronunciavit, quibus & officium publicè docendi, & Ecclesias gubernandi tradi rectè posset: *Euntes*, inquiens, *docete omnes gentes, & baptisate*, addito quoque novo titulo, *ut essent testes resurrectionis suæ*, Actor. I, 8. qui & alibi Apostoli, Evangelistæ, Doctores & Pastores appellantur. Hæc enim sunt illa privilegia, hæc insignia, quibus hodie quoq; Doctores ornantur, cum testimonium eruditionis, assidua lectione ac meditatione verbi divini sibi acquisitæ, ac præterea facultatem publicè in Ecclesia, secundùm leges ac statuta cujusq; loci, docendi accipiunt. Hæc autem privilegia Apostolis nemo, nisi supremus Ecclesiarum Pastor dare potest, qui *alios dedit Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores ac Doctores*, Eph. IV, 11. & absq; iis si fuisset, nec testimonium fide dignum ipsi exhibere, nec verbum Dei apud incredulas gentes prædicare, aut eas ab idololatriâ ad unius Dei cultum pertrahere potuissent. Quare ante omnia hæc illis necessaria erant.

Candidati verò ipse flos Doctorum Apostoli sunt, qui quales tum fuerint, & quales esse eos oporteat, qui ad eadem præmia easdemq; dignitates aspirant, Scriptura sacra evidenter docet. Nam Apostoli non fugitivo oculo literas tractarant, sed in Schola Christi per triennium, ut communiter Veteres statuunt, seu quadriennium, sicut ex V. Paschatis, quorum apud Evangelistas mentio fieri dicitur, Scaliger colligit, commorati, multa hactenus didicerant, viderant & audiverant, quibus ad obeundum munus aptiores reddebantur, & absque quibus si fuisset, nec Ecclesiæ prodesse potuissent, & nomen Doctorum ejus immeritò sibi vendicassent. Quare non erant in numero eorum, qui literas

teras in transitu degustant, & velut canes in Ægypto ex Nilo bibunt & fugiunt, aut ad docendum in Ecclesia prosiliunt, antequam ipsi didicerint, In quos non tantùm Gregorius Nazianzenus acriter jam tùm suo tempore invehitur, in Apologetico de fugâ suâ, *qui*, ut ipse ait, *rem usq; adeò levem & protritam existimant, ut ad hoc, ut quispiam sapiens, & Theologus sit, voluntas sola requiratur:* sed Hieronymus quoque Epist. II. ad Nepotian. adducto Præceptoris sui, Gregorii Nazianzeni exemplo: *Nolo*, inquit, *te declamatorem esse & rabulam, garrulumq; sine ratione, sed mysteriorum peritum & Sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est.* Augustinus quoque, cum ei Aurelius Episcopus Hipponensis, *potestatem dedisset coram se Evangelium prædicandi ac frequentissimè tractandi, contra usum quidem & consuetudinem Ecclesiarum Africanarum, cui se rei homo natura Græcus minusq; latina lingva & literis instructus, minùs utilem pervidebat*, ut Possidius in vita ejus narrat, Cathedram statim conscendere noluit, sed certi temporis spatium sibi indulgeri petiit, quo Scripturam sacram diligentius adhuc scrutaretur. Quod exemplum & tot præclara monita tantorum Ecclesiæ Doctorum meritò sibi semper ante oculos ponere debent, qui opere aliquod pretium hac in parte facere volunt.

Examen rigorosum, quod vocant, & illis subeundum erat, duabus imprimis partibus absolvebatur, quas & hodie in Ecclesiæ Doctoribus duo illi Apostolorum Coryphæi, Petrus & Paulus, tantopere efflagitant. Non enim doctrinâ solùm & fidei veritate atque integritate instructos, sed morum quoq; pietate ac probitate ornatos esse decet, qui muneri docendi accinguntur. Et doctrinam quod attinet, manifestè eam ab Ecclesiæ Doctoribus Apostolus requirit, cum ait, oportere eos esse διδακτικοὺς, seu idoneos ad docendum eos, qui veritati contradicunt, convincendum, Tit. I, 9. Eosdem jubet ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, II. Tim. II, 15. hoc est, verum à falso, & ipsa cœlestis doctrinæ capita ab invicem discernere. Vocantur autem Doctores & Pastores, quod gregem sibi commissum pascere & docere debeant, unde facilè intelli-

telligitur, nec veros Ecclesiæ Doctores, nec Pastores esse posse, nisi qui docere & oves ad salutaria verbi pascua deducere queant. Vitæ verò integritate ac probitate ita esse eos præditos decet, ut non ipsi tantùm sint ἀνεπίληπτοι καὶ ἄμεμπτοι, omniq; reprehensione careant, sed & auditoribus se suosq; tanquam exemplar virtutum & bonorum operum proponere rectè possint. Ita enim denuò Apostolus: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, vigilantem, tempemntem, compositum, hospitalem, aptum ad docendum, non vinosum, non percussorem, non turpem quæstum facientem, sed æqvum, alienum à pugnis & avaritia.* I. Tim. III, 2. quod & Tit. I, 5. itemq; Petrus I. Epist. V, 1. iterum inculcant, non tàm ut Timotheum aut Titum, aliosq; tùm viventes, quàm ut in persona eorum cæteros Ecclesiarum Doctores & Pastores erudirent, quibus ipsi exemplo suo præiverant. Tales itaque ac tanti cum Apostoli tùm essent, quid mirum, quod à Præceptore eruditionis ac vitæ actæ testimonium publicum impetrarent, ac præterea facultate docendi, præcipuè verò virtute ex alto donarentur? Quod institutum uti Ecclesiæ tùm salutare fuit, ita hodie adhuc meritò apud nos observatur. Quid enim Scholæ aliud sunt, quàm officinæ bonæ eruditionis, ad id institutæ, ut studia literarum sacrarum æquè ac profanarum ibi colantur, & viri docti ad Ecclesiæ aut Reipubl. gubernacula suscipienda & administranda præparentur, ex quibus deligantur deinceps, qui talibus officiis rectè adhibeantur. Quanquam enim eo pacto ad docendum verbum Dei hodiè non præparentur, quo Apostoli olim ejus Doctores constituti sunt, neq; ex divinâ inspiratione immediatè facta, nec in toto orbe auditores doceant, sed uno loco, deniq; nec omnium, quæ ubivis terrarum sunt, sed singularum tantùm Ecclesiarum curam gerant, unde & Paulus Apostolos, Prophetas & Evangelistas ab aliis Doctoribus & Pastoribus tàm diligentèr distinguit Eph. IV, 8. in eo tamen cum Apostolis facilè conveniunt, quod & hi Ecclesias fundatas & constitutas juxta verbum Apostolicum docere & gubernare debeant. Haud dubitavimus igitur, tùm Christi exemplo, tum mori institutoq; majorū insistere, & Doctoralibus Privilegiis

atq; insignibus ornare Viros quatuor, doctrinâ, eruditione, pietate ac morum probitate conspicuos, & tùm hîc, tùm alibi in Ecclesiis pariter ac Scholis exercitatissimos, admodùm Reverendos, atque Excellentissimos:

DN. FRIDERICUM HOLTZMANNUM, Veitlamensem Francum, Ecclesiæ Grimmensis Pastorem, & Diœceseos istius Superintendentem.

DN. JOHANNEM DEUTSCHMANNUM, Jütrebocensem Saxonem, S. S. Theol. in hac Academia Profeß. Publ. Extraordinarium.

DN. JOHANNEM DÜRRIUM, Dresdensem Misnicum, Concionatorem Aulicum Anhaltinum, Ecclesiæ Servestanæ ad D. Bartholomæi Pastorem, & vicinarum Superintendentem.

DN. GEORGIUM PREUSSIUM, Revaliâ-Livonũ, Academiæ Gustavio-Adolphinæ, quæ hodie Revaliæ est, Profeß. Theol. Extraordin. & Physicæ ac Logisticæ Ordinarium Publ. Collegij Philos. ibidem nunc DECANUM.

omnes

30

omnes S. S. Theologiæ Licentiatos. Quos eo ordine collocavimus, quo nomina sua apud Collegium nostrum fuerunt professi: nec enim per statuta aliter facere licuit. Quod ideò monendum, ne quis sinistrè fortassis interpretetur. Pares enim eruditione Theologicâ censemus omnes, ac proinde dignos, qui pari honore ac dignitate ornentur, ut nulla hîc, nisi ordinis prærogativa, locum habere posſit. Et sanè si tot Augustinos, tot Gregorios, Hilarios aut Hieronymos produceremus, ordo inter eos servandus esset. Cui solennitati cùm proximus dies Martis, Deo clementer annuente, destinatus sit, quo Promotore Viro plurimùm Reverendo, Amplissimo, atq; Excellentissimo Dn. ABRAHAMO CALOVIO, S.S. Theol. D. Prof. Publ. Fac. Theol. p. t. Decano, Consistor. Eccles. Assess. Ecclesiæ hujus Pastore, & Circuli Electoral. Superint. Generali, Collega & in Christo fratre nostro conjunctissimo, Privilegia & insignia Doctoralia ipsis solenniter distribuentur, Patres ac Cives Academicos in universum omnes amicè invitamus, rogantes majorem in modum, ut & horâ IX. ad datum Campanæ signum in Templo Arcis frequentes adesse, & precibus suis tùm Ecclesiæ, tùm Academiæ hujus, imprimis verò Dnn. Candidatorum salutem & incolumitatem Deo commendare haud gravatim velint. Quod officium uti per se pium ac Deo gratum, ita Candidatis haud injucundum & honorificum futurum est, & nos daturi operam sedulò sumus, ut gratitudinem nostram ac promptitudinem singulis semper probemus. P. P. Wittebergæ, Dominica XXIV. Trinitatis, Anno clɔ Iɔc LVIII.

****

D. Abra-

D. ABRAHAM CALOVI, P.P.
DISSERTATIO PANEGYRICA,
De
GRÆCORUM FIDE, AC RELIGIONE MODERNA.

V*Enite, exultemus Domino, jubilemus* DEO *salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione, & in Psalmis jubilemus ei. Afferte Domino, filiJ fortium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus.* *Psal. XCIV. 12.*

Excitet nos, Serenissimi & Potentissimi Principis ac Domini, *DN. JOHANNIS GEORGII II. Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium, S. R. I. Archi Mareschalli & Electoris, Landgravij Thuringiæ, Marchionis Misniæ, nec non utriusq; Lusatiæ, Burggravii Magdeburgensis, Comitis in Marcâ, & Ravensburg, Domini in Ravenstein, Domini ac Nutritij nostri Clementissimi,*

Legate Splendidissime,

Vir perquàm Generose, Prænobilissime, Maximè Strenue DN. WOLFGANGE LÖSERE, in Reinhardts & Meiro Toparcha, Electoratus Saxoniæ Marschalle hæreditarie, & Judicii Electoralis, quod hîc est, Præses eminentissime, Capitanee districtus Wittebergensis, Gomerani, & Elbenaviensis gravissime:

Nec non Serenisſimæ Conjugis Electoralis, Illuſtrisſimæ, & Celſisſimæ Principis ac Dominæ, Dominæ *MAGDALENÆ SIBYLLÆ, Natæ Marchioniſſæ Brandeburgicæ, Ducißæ Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgraviæ Thuringiæ, Marchioniſſæ Miſniæ, & utriusq; Luſatiæ, Burggrabiæ Magdeburgi, Comitißæ in Marcâ, & Ravensburg, Dominæ in Ravenſtein, Dominæ noſtræ Clementisſimæ,*

Legate Excellentisſime,

Vir Magnifice, Nobilisſime, Conſultisſime DN. AUGUSTINE STRAUCHI, JCte celeberrime, Serenisſ. Elector. à Conſiliis Appellationum, & Legationibus ad Comitia Imperii, Facultatis Juridicæ Ordinarie, Curiæ Electoralis, Conſiſtorii Eccleſiaſtici, & Scabinatus Adſeſſor undiquaq; meritisſime.

Reverendisſimi item, Serenisſimi, & Celſisſimi Principis ac Domini, *DN. AUGUSTI, Archi-Epiſcopatus Magdeburg. Adminiſtratoris Poſtulati, Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Landgravÿ Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, & utriusq; Luſatiæ, Comitis in Marcâ & Ravensburg, Domini in Ravenſtein, Domini itidem Clementisſimi,*

Legate gravisſime,

Vir perquàm Reverende, Amplisſime, Excellentisſime DN. JOHANNES SCHARFI, S. S. Theol. D. & P. P. celeberrime, Fac. Theol. Senior venerande, Templi hujus Præpoſite dignisſime,

RECTOR MAGNIFICE,

Illuſtrisſimi, ac Celſisſimi Principis ac Domini, Domini *JOHANNIS, Principis Anhaltini, Comitis Aſcaniæ, Domini Serveſtæ & Bernburgi, Jeveræ & Kniphuſæ, Domini noſtri Clementisſimi,*

Legate Eminentisſime,

Vir Magnifice, ac Conſultisſime, DN. JOH. SCHRIECKEL, JCte, Conſiliarie, & Cancellarie Anhaltine amplisſime.

Venerandi Collegii Theologici in Lipſienſi, nec non in Jenenſi Academia delegati Spectatisſimi, cæteriq; Patres Academici conſcripti, Viri Admodum Reverendi, Nobilisſimi, Conſultisſimi, Experientisſimi, Excellentisſimi, Prudentisſimi, Clarisſimi, ut & Deputati Rerump. & Hoſpites reliqui Ordinum omnium

omnium honoratissimi, Tuq; Studiosorum corona lectissima, præstantissima:

Excitet nos Lyra Davidica, plectro Spiritus sancti animata: mentem, Spiritum, labia nostra in laudes resolvat divinæ gratiæ memoria, Panegyricâ hâc solemnitate illustrata. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. Psallite nomini Domini, quoniam suave, quoniam usq; in generationem & generationem veritas ejus.* Psal. CXII. 2. Ps. CXXXIV. 1.

Summum Dei miseratoris beneficium est, cujus laude omnis sermo humanus longè inferior, quod in his tempestatum procellis, quibus navicula Christi ab omnibus mundi plagis nunc concutitur, in hisce decumanis fluctibus, quibus à furibundo orbis, ad novissimum, quem metuit, fragorem, insanùm æstuanti mari operitur, magna hic, per immensam Ejus, qui ventis mariq; imperat, clementiam tranquillitas viget, atq; serenitas. Quantâ vafritie hostis Ecclesiæ id egerit hactenus, ut denuò cùm in Ecclesia, tùm in Politia turbarentur omnia, nemini obscurum est. Neq; verò destituerunt antiqvum illum Draconem artes suæ, quibus inter summa Ecclesiæ Orthodoxæ capita, sanctiori licèt Concordiæ vinculo nuper conjuncta, novam discordiam, nova bella, prioribus longè graviora, ac prorsus peremtoria excitavit, flammisq;, jam immane quantum flagrantibus subinde oleum infundit, ut dum in mutua sævitur viscera, quicquid in Septentrione superat Lutherani seminis, penitus absorbeatur, atq; extingvatur. Quis verò, nisi

--- --- genuit quem cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaq; admôrunt ubera tygres,

non doleat, non toto cohorrescat pectore, cum sortem hanc tristissimam Ecclesiæ nostræ intuetur, atq; expendit! Quis non ad stupendam sangvinis Christiani prodigalitatem lugeat, ac cum Lucano ingeminet,

Heu quantùm terra potuit, pelagiq; parari,
Hoc, quem civiles hauserunt, sangvine dextra?

Quâ tamen clade exatiari nescit animus hostis infernalis, quin alios etiam summos Principes turbis involvat, & labyrinthis

periculorum exitum nullum habentibus, ut nempe ad sacrum quoq; Imperium, quod unum ferè quiete fruitur, belli flammam propaget, eâq; *filiam Sion*, quæ *ut umbraculum in vinea & sicut tugurium in cucumerario* superest, pariter depascat. Es. I. 8.

Et imminere jam verticibus nostris, aut certè parieti proximo non semel visum incendium: Sed avertit id gratia Dei, propulsavit manus altissimi. Adfuit, in.ò præfuit sanctiori,& supremo Imperii consilio *DEUS pacis*, uti non minùs de pace inter membra Imperii mutuò & cum exteris firmandâ, fovendâ, interq; ipsos Reges exteros conciliandâ & constituendâ, quam de Capite Imperii eligendo, & præficiendo consilia agitârit. Exaudiit preces nostras Deus benignissimus, & redactis ad Concordiam mentibus Serenissimis, Augustum Reipublicæ caput præfecit. Cui antiqvum illud שָׁלוֹם / שָׁלוֹם Feliciter, Feliciter, iterum iterumq; meritò acclamamus universi, atq; singuli. Ea quæ gliscere videbantur jam bella civilia, dexterâ suâ præpotenti suppressit: Cordi Serenissimi nostri Electoris, quem *Cor & oculum Germaniæ* non immeritò dixerimus, sancta pacis inspiravit Consilia, ut cum reliquis capitibus Serenissimis de eâdem fugitivâ retinendâ, atq; alligandâ perquàm solicitus, in consessu Sanctissimo egerit: tùm verò feliciter, divino munere, redux, pacis artibus potius, quàm Martis persvasionibus, illiusq; Consiliariis, quam hujus pullis operam daret. Idcircò malaciam & halcyonia ista, turbatâ quantumvis vehementer viciniâ, servare nobis, quàm consortio belligerantium infausto immisceri maluit.

Divina hæc est gratia, divinæ gratiæ hæc sunt munera: quæ alii summis efflagitârunt, nòn impetrârunt votis: non quod Rhadamanteis tabulis decreta insculpta sint sequiora: sed quod peccata cœli ultionem provocent, pœnamq; attrahant gravissima.

Qvum verò nihilo probiores nos simus, æquè promeritos talia nos esse, fateamur, oportet: Quapropter nihil restat, quàm ut in aliis quidem justam severitatem, in nobismetipsis verò immensam benignitatem Numinis devoti veneremur, gratiamq; ejusdem constantem, fideli & obsequenti exambiamus pectore.

Proinde

Proinde iterum atq; iterum, ô mei, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.* Dicat nunc lætâ fiduciâ Sion Saxoniæ, Ecclesia nostra; dicat in Ecclesia Sionis hujus Academia Leucorea: Dicat in Academiâ nostrâ concio docentium ac discentium universa: *In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilium meum, & spes mea in Domino est. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Deus noster refugium & virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris: Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum; conturbati sunt montes in fortitudine ejus. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificat tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus, non commovebitur, sed juvabit eam Deus manè diluculò. Dominus virtutum, susceptor noster Deus Jacob.* Psal. LX. 8. Ps. XLVII. 1. Ps. XLV. 2.

Novam autem lætandi, novam cantandi Domino materiam, bonæq; spei fiduciam concio hæc florentissima subministrat. Sive enim Academici cœtus frequentiam, in hâc regionum plurimarum ruinâ satis insignem intueamur: Sive studiorum in omni literarum genere successum perquàm felicem, quem præprimis crebriora honorum in omnibus Facultatibus præmia testantur, æstimemus: sive deniq; Collegii Theologici, quod pro religionis deposito excubat, ac *naviculæ* hujus *Academicæ prora & puppis* censeri debet, incrementum eximium cœlestis benedictionis rore lætius iterum atq; iterum efflorescens consideremus: lætari, cantare, bonamq; spem ulterioris felicitatis concipere, inter alia plurima, hæc quoq; *Præclarissimorum Candidatorum Quadriga sacra* nos jubet. Nam & hîc *transeuntes nos in valle lacrymarum*, & *fontes efficientes in eâdem benedictionum operit pluvia: ut eamus de virtute in virtutem, & videamus, quod verus Deus in hâc Sione* nostrâ. *Dominus dat verbum, dat Evangelizantes magno exercitu. Reges exercitum vehementer se invicem diligunt, & decus domus dividit spolia.* Et quamvis nobis, perinde ut calonibus & lixis castrensibus, qui à ventorum & cœli injuriâ utcunq; se defendunt, noctu *inter lapides focarios* jacendum, ut omni ex parte fuligine & atrore maculemur: Splendemus tamen DEI præsentis luce, solisq; justi- Ps. XXCIV. 7 Psal. LXIIX.

tiæ ſplendore, nec non donis Spiritus rutilantibus, quæ DEI gratia eſt: veluti *ala columbæ* nitidisſimæ, quæ *quaſi argento tecta, & quarum pennæ quaſi ex auro fulvo ſplendent, virentq́;.* Quam gratiam uti Collegio noſtro, Academiæ toti, univerſis Provinciis Electoralibus, ſub *Rutâ Saxoniæ ſemper virente*, totî quoq́; Imperio ſacro propriam ac perpetuam eſſe jubeat DEUS, devoto corde oramus: Adeoq́;, ut è ſtatutorum præcepto, vel potius è pietatis affectu, precibus etiam hæc conſecremus ſolemnia, *Te quæſumus, Domine, fac rata ſint hæc deſideria ac vota noſtra: quin medium ingere te armis ſummorum capitum, ac bella vineam tuam, eheu! nimium vaſtantia, illo ſolemni* PAX VOBIS, *dirime; convertantur gladij in vomeres,*

Eſa. I. 4. *lanceæ in falces: habitet lupus cum agno, cubet pardus cum hædo,*

c. XI. *vitulus & Leo & ovis ſimul morentur. Ephraim non æmuletur Judam, & Judas non pugnet contra Ephraim. Volent in humeros Philiſtiim ad Occidentem: Simul prædentur filios Orientis, immittant manus ſuas in Idumæam & Moabitas: & filij Ammon obediant eis. Mirabilis Deus in*

Pſ. LXVII. *ſanctis ſuis, Deus Iſraël ipſe dabit virtutem & fortitudinem populo ſuo, benedictus DEus.*

Arias montan. in Pſal. LXVII.

Caſtrorum Reges cedant, cedantq́; phalanges,
Quæq́; domi reſident, ſpolijs onerentur opimis.
Nos quanquam tripodes inter jaceamus, & ollas,
Attamen argento velata columba niteſcat,
Flava alis rutilans, pennisq́; micantibus auro.

Fiat, Fiat!

(MUSICA SYMPHONIACA.)

Factis nunc ſacris, de materiâ aliqua ſacro conventui non indignâ verba mihi facienda video: dum verò varia animo obverſantur argumenta, annus hujus ſeculi, quem agimus, & quod eodem octavo ſuprà quinquageſimum annum ſuperiori ſeculo, hîc Wittebergæ planè memorabile accidit, memoriam ſubit. Non enim id leviter habendum cenſeo, ſed annalibus perpetuis inſcribendum, & ad poſteros transmittendum.

Miſſus tùm à *Joſepho Patriarchâ Conſtantinopolitano* huc Wittebergam fuit Eccleſiæ iſtius Diaconus *Demetrius*, ut de ſacris conferret, & de religione, quæ in hâc Scholâ, diſcusſis Papalibus tenebris

nebris plusquam Ægyptiacis effulserit, informaretur. Nimirum non penetrârat tantùm fama Sionis nostræ per *Germaniam, Bohemiam, Hungariam, Poloniam, Lithvaniam, Prussiam, Livoniam, Daniam, Sveciam, Angliam*, aliasq; Provincias, & terras, in quibus doctrina hîc exorta, aut pleno jubare splendebat, aut mixtis licèt errorum nebulis, radios suos explicabat: non pervaserat tantùm *Galliam, Hispaniam, Italiam*, & alia Pontifici adhuc devota regna, quæ medias inter tenebras doctrinæ Evangelicæ lucem vel è rogis martyrum, flammisq; persequutionum radiantem videbant: In ipsam etiam *Græciam* vis ejus diffusa est, eamq; splendore suo in admirationem abripuit; ut alias Orbis partes jam taceam. Siquidem & Papistæ confiteantur, quod *doctrina nostra non contenta Occiduis & Aquilonaribus regnis, ad Orientem quoq; & meridiem, ad Graecos, ad Indos, ad ipsum novum orbem navigare ausa sit:* quemadmodum queritur Bellarminus. *Orat. T. IV. Oper. Præfix.*

Famâ itaq; pretiosæ fidei nostræ excitatus Præsul summus Ecclesiarum Græcarum legatum huc misit, ut de eâ pleniùs instrueretur Græciâ; qui per semestre spatium hic egit, doctrinarum, statusq; Ecclesiæ cognoscendi ergò, secumq; Græcum Augustanæ Confessionis exemplar ad Patriarcham suum Josephum retulit. Quem Demetrium: natione Thessalonicensem, virum senem ac gravem, legationis munere Haffniæ penes Danicas Ecclesias Anno suprà sesquimillesimum quinquagesimo & septimo perfunctum esse, *Nicolaus Hemmingius* retulit. Multa Demetrius laudatus, teste *Melanchthone*, Epistolâ ad Bordingum perscriptâ, perhibuit de statu & Religione Christianorum, inter Turcas degentium, & quàm multæ Ecclesiæ *in Asiâ* & *in Thraciâ*, atq; *Græciâ*, ac vicinis regionibus tùm adhuc superarent. Quod ingens DEI beneficium animo styloq; grato deprædicavit Philippus, perscriptâ ad Patriarcham Epistolâ, DEUM celebrans quod *Ecclesias Græcas non aliter atq; tres viros in fornace Chaldaicâ sospitarit.*

QUum autem de *Græcorum modernorum religione ac fide* non eadem sit sententia, quos ceu fidei consangvineos certatim sibi vendicant Papistæ, Calviniani, & Syncretico agitati Spiritu Novatores, deq; *Russis*, ob bella adversus Polonos ac Svecos adhuc flagran-

fragrantia, & crebras Legatorum misſitationes, multus hodiè ſermo ſit, viſum fuit operæ quoddam pretium, de *conſenſu & diſſenſu Orientalium cum Occidentis Eccleſiis* non nihil verborum facere. Quod dum exequor, Oratione non fucatâ, aut calamiſtratâ, ſed apertâ & ad docendum aptâ, benevolam, ob argumentum rarum, ac conſideratu perquàm dignum, mihi ſpondeo attentionem, eamq; ne denegetis, reverenter, & amicè contendo. Non injucundum fuerit, ad exiguum temporis ſpatium in alium quaſi orbem deferri; ad ampliandam verò Dei gloriam, maximopere faciet, venas è matricibus illis Apoſtolicæ fidei adhuc redundantes indagare, laticesq; è ſcaturigine iſtâ proſilientes deguſtare.

Eccleſia Græca nomen, ut inde ordiamur, Græciæ ipſi primùm hæſit, quæ Europæ pars nobilisſima, uti totius eruditionis quondam fons & mater extitit, ita Scaturigo facta eſt purioris fidei Apoſtolicæ felicisſima, cùm fontes Iſraëlis univerſam terram irrigarent per S. Apoſtolorum canales. Gentium enim Apoſtolus, di-
Act. XVI. 9. vinâ viri Macedonis voce, *ſuccurre nobis*, invitatus Philippenſium primùm Eccleſiam *in Achajâ* vel *Græcia merâ* fundavit, mox in ipsâ
Act. XVII. 1. *Macedoniâ Theſſalonicenſes* jubare Evangelii illuſtravit: tum verò
Act. XIIX. 10 imprimis *in Peloponeſi Corinthum, Græciæ Lumen* Ciceroni dictam, verum lumen intulit, in quâ magnum Deus habuit populum. Porrò *Inſulæ Cretæ* vel *Candiæ* ad fidem Chriſti converſæ *Titum* præfecit Epiſcopum. Neq; *Athenis, communi* illi *generis humani Scholæ*, uti *Diodoro Siculo* vocatur, ſupremus & unicus Magiſter defuit; in quâ *tuba* illa *Evangelij, rugitus Leonis noſtri*, Paulum Apoſtolum indigito, quondam reſonuit, & à *Quadrato* Apoſtolorum diſcipulo Apoſtolica doctrina propagata fuit, *Byzantiis* etiam *Thraciæ*, quæ Græciæ vicina, eiq; accenſetur, *Metropoli, Andreæ* Apoſtoli
Col. I. 23. operâ, ſi fides *Sozomeno* adhibenda, fides Chriſti tradita. Quid! prædicatum fuit Evangelium ab Apoſtolis *omni creaturæ, quæ ſub*
Rom. X. 18. *cœlo eſt, exivit ſonus eorum in omnem terram.* Ne *unum* quidem *genus eſt mortalium*, profeſſus de ſuâ ætate Juſtinus eſt, Apoſtolis maximè
Dial. cum Tryph. vicinus, *ſive Barbarorum, ſive Græcorum, ſeu etiam aliorum, quocunq; veniant nomine, ne eorum quidem, qui pro domibus plauſtris utuntur, ac in tentoriis agunt paſtoritiis, inter quos per nomen crucifixi*

Jeſu

Jesu supplicationes, & gratiarum actiones Patri & Fabricatori rerum omnium non fiant. SICUT SOL *Creatura Dei in universo mundo unus & solus est, sic & lumen prædicationis veritatis ubiq; idem lucere, & omnes homines illuminare, neq; Ecclesias, quæ in Germania fundata sunt, aliter credere, aut aliter tradere, neq; has, quæ in Hiberis sunt, neq; has quæ in Celtis, neq; quæ in Ægypto, neq; quæ in Oriente, neq; quæ in Lybia, neq; quæ in medio sunt constituta, de statu Ecclesiæ sui temporis*, seculo secundo perhibuit Irenæus.

Novissimè divinâ gratiâ, in aulas etiam Imperatorum scaturiit *fons* ille *aquæ in vitam æternam saliens*. Et *Philippi* quidem *Patris* ac *Filij* Imperatorũ animos eodem rigatos ab *Eusebio, Cassiodoro*, & aliis creditũ: Sed quia Epistolæ Origenis ad Philippium, quibus innititur illa traditio, sublestæ sunt fidei: *Constantinus M.* primus Imperator communi calculo designatur, quem latices sacri proluerunt, sub cujus Imperio exundavit rupto tyrannico aggere, per *Thraciam, Græciam* & *universam Monarchiam* Christi religio, ac cùm *Byzantium* in sedem Imperatoriam exaltaretur, & nomine Imperatorio honoraretur *Constantinopolis*, ac *Nova Roma* nuncupata, in honorem Basilicæ, sedes etiam Patriarchæ ibidem constituta, Romanæ dignitate æqualis, ordine proxima.

Postquam autem cum Apostolis, qui totius orbis Doctores, & Episcopi constituti erant singuli, Oecumenica ejusmodi potestas desiit, ad vitandam confusionem Diœcesium, distinctio introducenda fuit; hinc *Episcopi* constituti primùm, eorumq; potestas *jure Ecclesiastico* certis diœcesibus arctata; tùm uti Episcoporum servaretur unitas præfecti iisdem, qui in *Metropoli* sedem habebant, Archiepiscopi: quibus deniq; *primus*, in *Regia civitate* sedens, caput constitutus est, *Patriarcha* nomine & dignitate celebratus. Qvum ergò tres maximè in orbe Christiano prævaluerint *Basilicæ*, in tribus nempe tum cognitis orbis partibus, in *Europâ* quidem Italiæ orbisq; caput *Roma*, in *Africâ* verò Ægypti *Alexandria*, in *Asiâ*, Syriæ *Antiochia*, *Patriarchæ* pariter tres initiò sedebant, locum primum *Romano* ob urbis dignitatẽ tenente, ac præ cæteris *ordine*, non *muneris potestate* πρωτοκλισίαν occupante. Huic ergò proximus constitutus est *Constantinopolitanus*, eandem Patriarchæ dignita-

dignitatem adeptus, & *Alexandro*, atq; *Antiocheno*, in honorem *novæ Romæ* prælatus. Quibus deniq; in *Quintâ generali Synodo* sub *Justiniano*, Tyrio teste, *quintus* accessit *Patriarcha*, *Hierosolymitanus* nempe, in honorem urbis, quam Christus doctrinæ, & miraculorum splendore illustraverat, è quâ in universum orbem Evangelii lux diffusa erat.

Tyrius l. 24. de bell. sacr. c. 12.

Qvum ergo divisô per *Theodosii M.* filios, *Arcadium* & *Honorium*, Orientis & Occidentis Imperio, in illo Græco, in hoc Latino præcipuè vigente idiomate, Ecclesia *Orientis* universa *Græca*, *Occidentis* verò *Latina* nominari ceperit, comprehensa inde sub Grææ Ecclesiæ nomine, non ea solùm, quæ in *Græcia*, nec quæ *Constantinopolitanæ* solùm sedi subdita, sed quæ per totum Orientis Imperium diffusa erat: Atque ita etiamnum *Græca* Ecclesia non in *Europâ* solùm, sed in *Africâ* etiam atque *Asiâ* quærenda est: quæ hodie adhuc Patriarchis suis, sed sub Turcico jugo pressis & gementibus, gaudet.

Hoc ergò sensu *Ecclesiam Græcam* nunc dicimus: Quæ *appellatione* quidem solum, atque *sede* initio divisa fuit ab *Occidente*, sed ubi *Oecumenicam potestatem*, quam nequicquam *Constantinopolitanus*, vigente in Oriente Imperio, affectarat, *Romanus Episcopus*, absente Imperatore, solus rerum potitus, non ambiissent modò, sed favore *Phocæ parricidæ* exambiisset, cæteri autem Patriarchæ eandem agnoscere renuerent, schisma factum, Græcâ Ecclesiâ à Latinâ discerptâ: Quod confirmatum etiam magis magisq; confirmatâ potestate Romani Pontificis, cum *Leo III.* tanquam *præcipuum Romanorum procerum membrum*, *Carolum M.* publicâ voce *Romanum Imperatorem* proclamasset, & insignibus ab eodem mactatus provinciis, fimbrias jurisdictionis suæ extendere cepisset, quæ deniq; tota in politicam dominationem per *Dictatus arrogantissimos Hildebrandi* seculo *undecimo* degeneravit.

Accedebat fovendo schismati contoversia de *Processione Spiritus Sancti*. *Græcis à Patre* solum procedere Spiritum S. asserentibus, *Latinis* verò non modò *à Patre & Filio procedere Spiritum S.*, è Scripturis definientibus, sed, quod iniquissimè ferebant Græci, quodq; maximè distraxit Ecclesias, *Symbolo Constantinopolitano*,

quod

quod *Spiritum S. à Patre procedere* asserit, voculam FILIOQUE adjicientibus. Quam additionem eo etiam nomine reprobabant Græci, quod Romani suo arbitrio, non expectato generalis Concilii, & Orientalis quoq; Ecclesiæ judicio, illam προσθήκην Symbolo Oecumenico addidissent, ideò Schisma inde originem cepisse professi semper Græci, atque in *Florentino Concilio* publicè id testati sunt.

Cum ergò *cor & anima Romani Papatus* sit oecumenica potestas Episcopi Romani, & in eo *Summa Religionis Romano-Catholicæ* sita sit, quod credatur Episcopus Romanus caput totius Ecclesiæ, eiq; potestas summa cum privilegio infallibilitatis in decidendis controversiis religionis vendicetur, nemini obscurum esse potest, totis castris dissidere à Romanis Græcos, qui nunquam œcumenicam potestatem Romano Episcopo concesserunt, multò minus infallibile judicium ejusdem in definiendis causis religionis agnoverunt. Et primam quidem atque puriorem, Apostolis ipsis vicinam Ecclesiam Græcam haud credidisse œcumenicum Papatũ Romanum, è *Concilio Niceno* manifestissimum est, quod *unicuique Metropolitano* suam assignat *diœcesin*, eamq; consuetudinem à *Patribus antiquis* repetit, quod anteà *in Antiocheno* etiam factum erat Concilio. Cum verò altera Synodus œcumenica sedi Constantinopolitanæ id ἀξίωμα contulerit, *ut secunda post Romanam esset*, paribusq; gauderet privilegiis, quod in *Chalcedonensi* etiam Concilio confirmatum fuit, ecquis non videt, creditam haud fuisse œcumenicam Romanam potestatem? Unde nequicquam in *Anatolium* Constantinopolitanum Patriarcham *Leone* Romano contrà æstuante, dignitas illi mansit illibata, adeò ut *Acacio* etiam, ceu *primo* Orientis *Patriarchæ*, *Asiæ Episcopi*, teste Evagrio, sese subjecerint, *Evagr. l. III.* Bilem id movit *Felici*, quod subditum sese negaret *Acacius*, ac sistere recusaret, quapropter fulmine ipsum percussit, imò *Successori* *c. IX.* etiam *Euphemio*, quod nomen *Acacii* in *Diptychis* retineret, communionem Episcopalem denegavit.

Quia verò *seculo sexto* splendor Ecclesiæ Romanæ per varias urbis calamitates vehementer obscurabatur, *Constantinopolitana* verò sedes caput erigebat, imperio temporali suffulta, Episcopus

ejusdem axioma *Patriarchæ universalis* affectare non dubitavit: quod *Gregorius M.* tanquam signum adventantis Anti-Christi improbat. Adeò abhorrere videri volebat Romanus Episcopus ab istâ arrogantiâ, quam paulò post, *seculo* nempè *septimo* arripuit Bonifacius III., usurparunt, propugnarunt, statuminarunt Successores.

Quocunque autem astu, quantacunq; potentiâ prævalerent, Orientis Episcopos adducere non potuerunt, ut ipsi Romanum Pontificem pro capite agnoscerent. Opposuêre sese statim *seculo octavo* Patriarchæ Orientales, opposuêre etiam se Imperatores Papæ, ejusq; corruptelis *Leo Isaurius, Constantinus Copronymus*, & *Leo Junior*, utut perfidiâ suorum vexati à Romano Pontifice Imperio Occidentis spoliati, omnesq; eorum conatus irriti redditi sint. Ubi verò *seculo nono* Photium Patriarcham Constantinopolitanum, quod primatum ipse in Oriente exerceret, Nicolaus Romanus excommunicare auderet, non veritus fuit *Photius* vice versâ Nicolaum excommunicare. Quæ tum Romani Episcopi in Oriente jurisdictio? Rursus ubi *Leo IX.* anno suprâ millesimum quinquagesimo quarto per legatos, in Michaëlem Constantinop. anathema vibraret, *Michael* fulgor ex pelvi id æstimans, pariter ipsum fulmine percussit, causis ad Antiochenum perscriptis, *cur adversari Latinos oporteat*, quarum plerasque *Petrus Antiochenus* ratas habuit. Seculo vero *decimo tertio*, ut alia taceamus, *Antiochenus* Patriarcha, consentiente Germano *Constantinopolitano*, Papam cum totâ curiâ Romanâ excommunicavit, ceperuntq; tùm Græci Latinos ita abominari, ut etiam, quod *Bzovius* ex *Actis Lateranensis Concilij* docet, *sacrificare prius super eorum altaria, quàm eadem lavissent*, recusarint. Quæ istâ, uti videtur nonnullis, ætate *Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis* libris de *causis dissensionum*, quæ *Barlaam* Monachus Papatui Romano opposuit, in apertâ sunt luce. Ideò questus est de Græcis vehementer *Matth. Paris.* quod *constituerit Patriarcha Constantinopolit. sedem suam, quasi alter Lucifer in Aquilone, filius degener, & Anti-Papa, vocans & adserens Ecclesiam suam digniorem eò quod Petrus primò Antiochenam Ecclesiam rexerit.* Quid, quod de Græcis testetur *Gennadius*, quod Latinos ipsi apertè *hæreticos* dixerint, &

rint, & Papam præ cæteris præcipuum, quodq; unionem prorsus refugerint, neque Papæ memoriam audire, neq; eos, qui unionem ex illorum Sacerdotibus amplectantur, videre sustinuerint, aut qui cum ipsis communicant, pro Christianis habuerint. Nec defuerunt, qui *peiores hostes Latinos* dicerent, quàm *Saracenos*, quod hi regna quidem temporalia occuparent, jura tamen Ecclesiastica non attingerent.

Frustra autem fuêre Pontifices *Clemens VI. Benedictus XII. Johannes XIII. Innocentius VI. Gregorius XI.* dum concordiam Græcis obtulêre: quam adeò non impetrarunt, ut *Johanni* modò dicto prolixâ Epistolâ contendenti, se *totius Ecclesiæ caput, Christiq; vicarium* esse, breviter at peremptoriè responderint Græci: *Potentiam tuam summam erga tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam satiare non volumus, Diabolos tecum, quia Dominus nobiscum.* Atq; hæc seculo à nato Christo *quarto & decimo*, sub cujus decursum Imperatori Græcorum *Emanueli Palæologo* suppetias adversus Turcam non modò denegavit Papa, sed ne Principes Italiæ easdem ferrent, anathemate terruit, causâ hâc præclarâ additâ, quod *imaginem Christi, quæ scil. in dexterâ manicâ Episcopi intexte erat, adorare noluerit.* Ita scilicet ob neglectam unicam crucis acupictæ imaginem, vel non delatum eidem honorem religiosum, innumeræ myriades vivarum Dei imaginum, pro quibus Christus ipse crucifixus est, neglectæ & immani tyrannidi & Idolomaniæ Turcicæ ab Oecumenico illo animarum curatore, Christi vicario expositæ sunt!

Quanquam vero ab *Eugenio IV.* cum *Johannes Palæologus, Emanuelis filius* iterum auxilium peteret in Concilio Florentino, unio non tentata modò, sed à Legatis etiam Græciæ, ut auxilium modò obtinerent, utcunque inita fuerit, *anno supra millesimum quadringentesimum tricesimo nono*: *Acacius* tamen *Ephesinus Antistes* constanter restitit, pessimeq; excepti sunt legati reduces, adeò ut cæteri Græci nec liturgias amplius cum ipsis celebrare, nec in precibus mentionem eorum facere dignarentur, sed ab eis tanquam hostibus, qui pietatem omnem abjecissent, penitus abhorrerent.

rerent. Causam si requiras, hæc fuit præcipua, quod *Latini supremam in Ecclesias omnes potestatem literis unionis inseruerint*, quam in Papâ Romano detestabantur Græci.

Biennium suprà seculum exactum est, ex quo *Paulus IV.* Pontifex Romanus in Æthiopiam Græcam fidem sub *pretiosi Johannis Imperio* per 40 Regna sese proferre profitentem *Andream Oviedum Jesuitam* misit, ut in locum *Patriarchæ Æthiopici* suffectus, Ecclesias illas Romanæ sedi subjiceret. Sed Rex ille Patriarcham non vocatum currentem, in vincula conjecit, comitibus ignis supplicium ceu *hæreticis* comminatus. *Maffæus* ex historiâ Indicâ commemorat, quod Abyssinorum Patriarcha, cum jussus fuerit cum Jesuitâ *Roderigio* disputationem subire, non modò protestatus sit, nullum sibi cum hæreticis esse sermonis cōmercium, sed Regi etiam graviter interminatus fuerit, si scripta eorum evolvere perrexerit. Quo loco Romanum Papam *sub exitu superioris seculi* habuerit *Meletius* primùm *Alexandriæ*, post *Constantinopolitanæ* sedis Antistes, Epistolæ ejus ad *Gnesem Basilium, Ruthenos, Chios, Græcos*, quibus Latinorum dogmata de Romani Papæ primatu, & alia convellit, testantur: Testatur & *Tractatus de Ecclesia ad Sylvestrum Patriarcham Alexandrinum*, in quo inter alia ita compellat Pontificem Romanum: *Tu sedes ô Sacrifice, Sacerdos summe, mysteriorum divinorum inspector, Sacrorum Princeps, typum gerens & locum, dignitatem & potestatem Christi pauperrimi, ut qui nec volucribus similis fuit, nec vulpibus tabernaculum aut cavernam habentibus, & tu facultates colligis, lucrumque quæris, nummos probas, subducis quæstum & inbias marsupio an plenum illud sit, cætera omnia contemnis, quæ cumulatim tandem in infernum præcipitant. O miseram progeniem Iscariotæ!* De Papicolis ita queritur idem Meletius: *Qui Papæ adhærent, illi & de fide, & de Ecclesia omnimodam potestatem huic capiti, Romano Pontifici largiuntur, etiam usque ad eversionem, & innovationem eorum, quæ Christus ipse lege definivit. Quomodo enim alias, si nihil aliud occurreret, auderent Eucharistiam mancam Ecclesiæ per unam solum speciem panis proferre laicis, nisi hanc sibi arrogassent potestatem, quæ non ministerium & servitium est, sed Imperium?* Hæc Meletius Alexandrinus, & Constantinopolitanus Patriarcha.

Atque

Atq; in hoc capite de *Rom. Pontifice*, quod verò præcipuum eſt, & rei totius ſummam complectitur, ex aſſe conſentiunt *Orientales*, utut in aliis abs ſe invicem non leviter diſſentiant: Romanum Pontificem non agnoſcunt pro capite, & œcumenico Epiſcopo, nedum pro judice infallibili, imò eundem execrantur & damnant. cum talem ſe jactitat: cujus & *ſuperbiam* in primatu ac jurisdictione ſuper totam Eccleſiam, ac *tyrannidem* in oppreſſione & perſeqvutione diſſidentium perquam luculentam, & *arrogantiam* in diſpenſatione adverſus leges divinas diabolicam, reprobant, abominantur, deteſtantur.

Jam ſi *ſpecialia* dogmata, in quibus Græci iterum à noſtris ſunt partibus, & Romanis ſe opponunt caſtris, ſpectemus, ea neq; pauca ſunt, neq; exigui momenti. Aſſerunt nobiſcum *Scripturam unicam eſſe controverſiarum fidei & religionis normam, ſolumque Spiritum S. judicem infallibilem eſſe*, qui in Scripturis loquitur, agnoſcunt *S. Eucharistiam ſub utraq; ſpecie Laicis diſtribuendam eſſe*, ſub pane atque vino benedicto. Cœnam Domini non pro *Sacrificio* habent *expiatorio pro peccatis vivorum & mortuorum*, ſed pro *Sacramento*. Miſſas *ſolitarias privatas* Romanæ Eccleſiæ ad quæſtum compoſitas, rejiciunt. *Efficaciam Sacramentorum* ab intentione, aut dignitate miniſtrorum haud ſuſpendunt. *Ignem purgatorium*, quò animæ fidelium peccatorum venialium ſordibus poſt hanc vitam eluantur, non credunt, ſed explodunt. *Orationes pro animabus liberandis* non inſtituunt, *indulgentias* ære redimendas pro peccatis non probant. *Sacerdotibus* & miniſtris Eccleſiæ matrimonio prorſus interdicendum eſſe, negant: *Sculptilia* ad cultum religioſum non proſtituunt. *Sacra Eccleſiaſtica* linguâ vernaculâ adminiſtranda eſſe admittunt. Ad *orationes* neceſſarium eſſe dicunt, ut quis preces intelligat, utq; linguâ notâ fiant. Preces, quæ ad numerum *roſarij* fiunt, pro battologiâ merâ habent; *aquam luſtralem* ad expurgandum peccatum, vel abigendum diabolum inſervire negant. *Bonorum operum merita* explodunt: quæ omnia de Græcis notiſſima ſunt. Et teſtantur de eo non ſolùm *Meletij* ſcripta, ſed & aliorum; *Maximi Margunij, Gabrielis Severi, Momembaſienſis Philadelphi Metropolitæ*, qui contra Concilii Florentini quinque Ga-

que capita scripsit; *Georgij Coresii* Chii contra Romanos, ut reliquos sicco pede prætercam. Testantur *Edvinus Santes* relatione de religione, *Edvardus Brerewodus* Scrutinio religionis, & alii uberius de his agentes.

Gemina etiam de *Abyssinis* Legatus Imperatoris Æthiopum Davidis *Christophorus Liconatus*, Patriâ linguâ *Zaga Zabus* dictus, nec non *Thomas à Jesu* Monachus Carmelita tradunt, qui prætereà, fatente eodem Thomâ, Sacramenta etiam ψευδώνυμα, *Confirmationis* & *extremæ unctionis* reprobant. *Armeni* verò tùm in plerisq; illis capitibus Papæ adversantur, tùm *imagines* quoq; *adorandas* negant, & adorantes easdem anathemate feriunt, in *nuptiis* denique *contrahendis* nullum agnoscunt *Sacramentum*, nullam spiritualem gratiam. De *Coptis* cum rogaretur *Abyssinus Presbyter Tecla Maria*, an ab Abyssinis discreparent, respondit: *nullam esse differentiam inter eos, & in omnibus rebus concordare, esse etiam sub ejusdem Patriarchæ imperio.*

In his itaque tot & tantis capitibus cum discrepent à Papatu, consentiant nobiscum *Orientales*, quâ obsecro veritatis specie *Genebrardus* Parisiensis Theologus consensum jactitat cum Romano Pontifice, qui nullus est! Quâ temeritate gloriatur *Stanislaus Socolovius*, Regis Polonorum Stephani Theologus, *consensum incredibilem Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis*, qui verè incredibilis, nam ut credatur, nunquam admittit historia. Quid dicam de *Petri Arcudij* molimine, qui opere peculiari Lutetiæ edito, conatus est Græcæ Ecclesiæ cum Latinâ consensum ostendere, quid de *Christophori Ranzovij*, qui peregrinatus, & Apostata factus est ad Synagogam Romanam, jactantiâ plusquam Thrasonicâ in Epistolâ Catholicâ, de Arcudico, penè dixeram *Arcadico* opere, quod *tàm solidè consensum demonstrarit, ut nemo contrà hiscere ausus fuerit*? Quid de *Leonis Allatij* Græculi, Wallenburgis etiam laudato, vasto opere de *Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis consensione*, quo *in ritibus tantum discrepantiam esse*, contendit? Uno verbo, Polum Arcticum Antarctico jungere conantur, & jungi posse, aliis persuasum cupiunt.

Quæ-

Quænam enim, quæso, Ecclesia illa *Orientalis est*, cujus consensum tantopere efferunt Papistæ? *Edvardus Brerewodus*, Anglus, qui sedulum & accuratum religionum per orbem nuper instituit scrutinium, *sectas* in *Oriente* Christianorum numeravit *undecim*. Quânam verò in his laudabunt, quæ cum Rom. Ecclesia conspiret? Num fortè *Græcos* specialiter ita nuncupatos, qui Patriarchæ Constantinopol. subjecti, aut certè addicti sunt. Illorum sanè secta maxima est, non per Europam tantùm diffusa, per *Græciam*, *Macedoniam*, *Epirum*, *Thraciam*, *Bulgariam*, *Rusciam*, *Serviam*, *Bosniam*, *Walachiam*, *Podoliam*, *Muscoviam*, *omnesq; Ægæi maris, & alias Græciam cingentes Insulas, ad Corsicam usq;*, non exclusis illis, qui bonam *Poloniæ* partem, nec non *Dalmatiæ* & *Croatiæ* portiones Turcico imperio subjectas occuparunt, sed in *Asiâ* etiam Christiani, qui *Natoliam*, *Circassiam*, *Mengreliam*, *Russiam* incolunt. At à Patriarchâ, cui illi parent, quotannis Pontificem Rom. cum Synagogâ suâ excommunicari jam diximus, ac dogmata, in quibus contra Romanam Ecclesiam dimicent nobiscum, prolixè induximus, quorum etiam nonnulla è responsis à *Jeremiâ Patriarchâ* Tubingensibus superiori seculo datis manifesta sunt.

Num advocabunt *Syros* vel *Melchitas*, ita dictos, quod Regis vel Imperatoris *Marciani* decreta in Concilio *Chalcedonensi* tradita, amplectantur? At hi quanquam non *Patriarchæ Constantinopolitano*, sed *ArchiEpiscopo Damasceno*, qui *Antiocheni Patriarchæ* titulum gerit (Damascum enim translata est sedes) pareant, religionem tamen *Græcorum* per omnia seqvuntur, iisdemq; communicant.

Num ad *Georgianos* se conferent? At eorum religio eadem prorsus in substantiâ & ceremoniis cum Græca est, tametsi *proprio Metropolitæ* in *Monasterio S. Catharinæ in monte Sinai* habitanti, cui XIIX Episcopi parent, subjecti sint, & præter Græcorum errores alia figmenta admisceant.

Num ad *Jacobitas* in *Cyprum*, *Mesopotamiam*, *Babyloniam*, *Palæstinam*, aut *Alepum*, *in Syriam*, quorum secta per 40 regna dispersa dicitur, & Patriarcham in urbe *Camich* residentem, qui semper nomen *Ignatij* gerit, titulumq; *Antiocheni* Patriarchæ sibi sumsit, & *Hierosolymitanum* subditum agnoscit, se proripient? aut ad *Cophtitas*

titas seu *Ægyptios*, qui Patriarchæ *Alexandrino*, sede tamen *Cairum* translata, subditi sunt? At neutri *jurisdictionem Papæ* agnoscunt, neutri *purgatorium* aut *preces pro mortuis* admittunt, utrique *integram Eucharistiam* distribuunt: *Jacobitæ* Confessionem *auricularem* non urgent, neque *Sacerdotum cælibatum*. *Cophtitæ extremam unctionem* negligunt. Neutris deniq; gloriari multum potuerunt Papistæ, si *Eutychianâ* hæresi, quam *Jacobus Zanzalus Syrus*, à quo nomen habent Jacobitæ, adhuc infecti sunt, quemadmodum vulgò creditur.

Num ad *Abyssinos* fortè se recipient, *interioris Æthiopiæ* incolas, *Pretiosi Johannis* (sic vulgò vocatur, qvum *Preto Chan*, id est, *venerabilis Rex*, uti *Tartar Chan*, i.e. *Tartarorum Rex*, observante *Matthæo Dressero*, Oratione de Ecclesiâ Æthiopicâ, vocandus sit) imperio subditos? At quamvis illi *Zagozabo* Episcopo ipsorum referente, *Metropolitâ proprio*, quem *Abunam* dicunt, gaudeant, à *Patriarchâ* tamen *Alexandrino* dependent, & quod ad religionem attinet, *Jacobitæ* potius sunt, quàm Papistæ: faterurq; è Papistis, *Franc. Alvaretz* Jesuita, quod agnoscant, *legi non posse ab ullo homine satisfieri*, Christum solum implevisse eandem pro nobis fateantur, *Eucharistiam sub utraq;* laicis dispensent, *inclusionem panis sacrificati*, *nundinationes Missarum*, *sacrificia pro mortuis* reprobent, *confirmationem*, & *unctionem* pro Sacramentis non habeant, *indulgentias* recipiant, *invocationem Sanctorum* minimè approbent, *Sacerdotibus conjugia* permittant, ritus à Christo neque mandatos, neq; prohibitos liberos habeant. Adde jam hîc illud, in quo *summa rei* vertitur; quod nempe *Papatum Romani Episcopi* non admittant: quo jure Papistæ *Abyssinos* pro suis venditabunt? annon potius Ecclesiis nostris quamproximè accedere censendi erunt, modò Oecumenica Concilia priora IV. ipsi integra, quod de ipsis tradit Alvaretz, suscipiant? Nam, si à ritibus ipsorum abeas, quod nempe *utriusq; sexûs infantes circumcidunt*, quodq; *ἀναβαπτισμὸν annuum* instituunt, quibus non pro Sacramentis utuntur, sed tantùm pro *ceremoniis* in memoriam Christi & circumcisi & baptisati, utique multò saniores sunt Pontificiis in plerisque controversiis capitibus.

Num

Num *Armenios* ex *Turcomania*, aut ex *Armenia minore cis Euphratem*, & ex *Cilicia* advocabunt? At illi proprios habent Patriarchas, Romano se subducunt, & adeò Latinæ Ecclesiæ non accedunt, ut transeuntes ab eâdem denuò tingant: *purgatorium* rejiciunt, cum *precibus pro mortuis*, *sacerdotum conjugium* admittunt, *Eucharistiam sub utraq;* distribuunt.

Quos ergò tandem sibi addictos in Oriente reperient alastores Papales, consensum tantoperè jactantes? Num sub *Patriarchâ Seleuciæ, qui Jacelich* patrio vocatur nomine? At si paucos circa urbem *Caramoth* in Septentrionalibus Mesopotamiæ tractibus excipias, qui Romanæ sedi obedientiam inde à Julio III exhibere dicuntur, cæteri *Nestorianâ* infecti sunt hæresi, aut certè Papæ Romano subjecti non sunt, & in urbe *Mosal proprium* habent *Patriarcham*, ac quà *cælibatum Sacerdotum*, *communionem sub unâ*, Sacramentum *Confirmationis*, *& auricularem Confessionem* à Papistis διὰ πασῶν discrepant. Num ad *Muscovitas* & *Russos* penetrabunt? Ast illis cum Ecclesiâ Romanâ communicare religio est. Patriarcham habent proprium, qui non à Papâ, sed à *Czare* Moschorum nominatur, dogmata cum Constantinopolitanis amplectuntur communia, solis discrepantes ritibus, à Papâ autem adeò abhorrent, ut, referente *Sigismundo Herbersteinio*, Cæsar Moschorum nulli homini infensior sit, quàm Romano Pontifici: Quem Joh. Basilides ne quidem pro Pastore agnoscere voluit, cùm *Possewinus* Jesuita ipsum eò adducere conaretur, nedū pro Oecumenico: fidei Romanæ Septuaginta fides inesse, asserens. Moscis etiam communiter religio est, cibum cum Papicolis capere, nisi cogat id necessitas. Tantoperè horrent eorum communionem! Quanquam verò qui in *Russiâ nigrâ* & *Podaliâ* Regi Polonorum parent, *Anno superioris seculi nonagesimo quarto* Pontifici Romano se subjecerint, *Religionem* tamen *Græcam*, ritusq; receptos salvos sibi eosdem reservasse *Thomas à Jesu* de conversione gentium, testis est. Quid ergo superest, quàm ut in *Indiam* navigent Papistæ, ad *S. Thomæ Christianos* quos vocant, qui LX abhinc annis, à Lusitanis ad Papismum inducti sunt, & ad *Maronitas*, ab hæresiarcha *Monothelitâ Maron*, si Arabicis Scriptoribus *Patricide* & *Elmacino* potiùs, quàm

Gabrieli Sionitæ, qui hic suspectus est, fides adhibenda, ita nuncupatus est, in montem Libanum conscendant, quos Clementis IIX tempore Papatui accessisse constat. Sed num exiguus ille manipulus *Indorum & Maronitarum*, Ecclesiam *Orientalem* universam referet? Quis non videt, frontem omnem deposuisse, qui è Papistis *Orientalium consensum jactitant*?

Quod *Zagazabus* tentavit nomine *Davidis Æthiopiæ Imperatoris*, parum momenti habet. Syncretico ille agitatus Spiritu *omnes Christianos, sive Græcos, sive Armenios, sive Æthiopes, sive ex quavis septem Ecclesiarum Christianarum, in charitate & Christi amplexibus sustinendas* statuit; *quoniam omnes filij Baptismi sumus*. Et professus tamen etiam ipse est dissensum suorum in non paucis à *Romanâ Ecclesiâ*, e. g. quod pro remissione animarum nullam faciant missam, quod Clericis uxores permittant, Sacramentum Eucharistiæ non ostentent, aut asservent, & quæ ejus generis alia. Neq; assensum admittit *Thomas à Jesu*, *Abyssinos* licèt reverentiam aliquam Romano Pontifici adhibeant, *haud firmiter de primatu Romanæ Ecclesiæ sentire* agnoscens: Quod deniq; *Alvaresius* soli Dei verbo scripto explosis traditionibus adhærere, & in multis capitibus discrepare à Romano-Catholicis, palàm fatetur.

Neque turbare nos potest splendida illa legatio, quæ *Ecclesia Alexandrina* nomine ad *Clementem IIX* venire visa est, ut Pontifici fidem daret. Legatio enim illa *Thuano* (ad Ann. Chr. 1595.) teste, à multis in dubium revocata est, quod non *Arba Johannes*, aut *Gabriel*, cujus nomine mittebatur, tunc *Alexandrinæ Ecclesiæ* præesset, sed *Meletius*, & confutata jam à *Georgio Puza* literis ad *Johannem Nortoricum* scriptis hæc jactantia est: imò fatetur *Thomas à Jesu Carmelita*, re diligentius examinatâ, *mendacium* ac *figmentum Bartonis impostoris cujusdam apparuisse*: quod in lucem dehinc protractum fuerit.

Sed quid multis opus, cum ipsimet Pontificii Orientalium dissensum testentur, consensum refellant; nonnulli Græcos tanquã *hæreticos* reprobent, quo epitheto honorat eosdem *Sebastianus Heissius* (in discuss. trium quæstion. de Eccl. p. 30.) & *Costerus* (in Enchirid. c. 3.) nec non *Prateolus* (in Elench. hæret.) qui duodecim

cim capita dissensus Græcorum à Latinis, aliosq; novem errores Græcorum recenset in Muscoviâ suâ. *Antonius Caricus Venetus Archiepiscopus Corcyrensis* triginta & unius hæreseon Græcos, libro de hæresibus Græcorum, postulat. *Petrus Numagen* Sacellanus Tigurinus XXIV. errores Græcorum apud *Hotting.* sec. XV. notavit. *Romanus Professor Abrah. Ecchelensis Maronita* etsi *Concordiam Nationum Christianarũ per Asiam & Africam, cum Ecclesiâ Latinâ, adversus Protestantes*, peculiari libello docere nitatur, quẽ Nihusius cum Programatibus ad Academias Protestantes edere non dubitavit, fassus tamen illo apertè est: *Nationes istas tàm inter se, quàm cum Rom. Ecclesiâ inveterata odia, eaq; incredibilia exercere*: ac retudit gloriationem illam abundè Hottingerus Præf. in Lex. Har. & Topog. Eccles. Orient. Multi comparant Orientales regno Samariæ, quod separavit se à vero templo, & tandem in perpetuã captivitatem abductum est, notante *Bellarmino* l. II. de Christo. c. 30. Omnes deniq; Græcos pro *Schismaticis* habent, eoq; nomine rejiciunt. Testem sisto non privatum, sed publicum, qui instar omniũ habetur, & cujus vocem omnes sequi tenentur: caput ipsum Romanæ Synagogæ, Pontificem Romanum, non suo, sed totius Ecclesiæ nomine, decernentem, promulgantem, & evibrantem anathematis fulmen non minus adversus Græcos, quàm adversus alios. Quod Bullâ Cœnæ Dominicæ, quam vocant, quotannis fieri neminem fugit: utpote quâ expunctis *Gazaris, Paterenis, Pauperibus de Lugduno, Arnoldistis, Speronistis, Passageriis, Fratricellis*, quos nominatim adhuc Paulus III Anno IↃ XXXVI. expressit, *Lutheranos, Zwinglianos, Calvinistas, Hugonottas* alii substituerunt, iisq; addidêre *Schismaticos*; quo nomine *Græcos* indigitarĩ certum est. Ita enim Bulla habet, quam primo suo anno, seculi hujus sexto, Paulus V. publicavit Quid opus jam aliis testimoniis, qvum hoc omni exceptione majus sit, omniumq; judicium referre credatur, aut certè Papale anathema metuendum sit, si non credatur.

Eat nunc *Hugo Grotius*, & jactitet (apud Rivetum Apolog. Discuss. p.10.) *Hugo Magnus, Latinos cum Græcis facile posse conciliari: Sacramenta esse eadem, dogmata convenientia, ita ut post factum Schisma Archi-Episcopus Thessalonicensis non falsò Adriano Papa Ro-*

ret ex Confessione fidei à Reverendissimo Patre Cyrillo Patriarchâ Constantinopolit. omnium Ecclesiarum Orientalium nomine nuperrimè editam, quae est in articulis singulis ab eo propositis, & promulgatis cum Protestantium Confessionibus per omnia consentiens. Hanc ergò amplissimam Orbis Christiani partem videre mihi videor ad primum consociationis nostra (inter Lutheranos & Reformatos) *nuncii in amplexus nostros, convolaturam illicò, quam spem nostram, si Christus beaverit, posset hac una res omnem omnium Imperatorum triumphorum & trophaeorum splendorem & gloriam antecellere. Joh. Henricus Hottingerus*, nunc Heidelbergensis Theologus, in Analectis non laudat tantùm Confessionem Cyrilli, sed ex eâ etiam constare censet, quae tum doctrina in Ecclesiis Graecis recepta fuerit. Quid de *Genevensibus*, quid de *Tigurinis* dicemus, qui non solùm Confessionem Cyrilli Latino & Graeco idiomate ediderunt, editam pro Confessione Graecae Ecclesiae venditarunt, sed etiam sub titulo *Orientalis Confessionis Corpori & Syntagmati Confessionum* suarum inseruerunt.

Sed mirum fuerit, atque stupendum prorsus, Orientalem Ecclesiam, quae nunquam *absolutum* Calvinianae *Praedestinationis decretum* credidit, nunquam *Corporis & Sanguinis Christi praesentiam in S. Coena* inficiata est, nunquam *repraesentationis, atq; figurationis Zwingliana spectrum* somniavit, unius Cyrilli operâ tàm subitò in antiquae fidei in his capitibus abnegationem, & σνολοδοξίας Calvinianae susceptionem inductam fuisse, & tam facile non Constantinopolitanam tantùm Ecclesiam, sed universum *Orientem* cum Cyrillo isto conspirâsse. Non dicam jam, quod non pauci dubitârint de Confessione illâ, an eadem *Cyrilli Lucaris* sit? neq; id operosè exponam, quomodo Cyrillum istum ambitio ad Calvinianam religionem induxerit, aut quibus artibus ipse, cum Rector primùm Scholae Ruthenorum Ostrogensis, post Exarchus, & Archimandrita factus, obtensâ à Calvinianis quibusdam peregrinis & advenis pecuniâ, in sedem Constantinopolitanam penetrarit, & quomodo stipulatus Calvinianis viceversâ fuerit, Orientales in eandem communionem sese attracturum; de quibus in successoris *Assenij* epistola legere est, à *Leone Allatio* & *Fratribus de Walenburg* producta.

Id certè ſicco pede prætereundum non eſt, quod Cyrillus prædictus *Gelaſinum* Patriarcham Alexandr. literis & promiſſis ſuis, de Collegiis, in quibus, impenſis Hollandorum alumni Græci ſuſtentarentur, & erudirentur erectione, nec non operũ Sanctorum Patrum editione, aliisq; ſplendidis pollicitationibus in conſenſum qvidem adducere laborarit, ſed repulſam tulerit. Juvat quædam è literis Alexandri in Ægypto Anno 1629, 18 Julii datis repetere. *Gelaſinus miſeratione divinâ Papa, & Patriarcha magnæ urbis Alexandriæ, & judex orbis terrarum. Communionem in Chriſto habere & Spiritu conjunctos eſſe, cum hominibus eadem ſentientibus, eandemq; pietatem colentibus, mihi non ſolum videtur honeſtum, ſed valde etiam optandum. Quid enim jucundius conjunctione & conſenſione, fraternâ? Verum conjungi cum hominibus alienæ fidei non ſolùm periculoſum eſſe didicimus à B. Paulo, ſed etiam evitandum vehementiſſimè. Idcircò vos interim nec unius corporis, nec unius ſocietatis, & communionis vocare auſim, quippe qui ejusdem Dominici corporis non eſtis participes, nec eâdem imagine fidei conſignati. Quod ſi rurſus conjungi volueritis, ut in tuis literis ſubindicare videris, nihil omninò deflectentes, non multum, non parum, ab eâ religione, quam vos etiam anteà tenebatis, tunc ſanè libenter expanſis ulnis vos ſuſcipiemus. Quod ut fiat, ſi opus erit Concilio, ut omninò opus erit, parati ſumus, & longa ſuſcipere itinera, & impenſas facere, maris pericula pro nihilo ducere, & quemvis laborem ſubire ad veſtram ſalutem reſtitutionemq; ad priſtinam religionis dignitatem.* Hæc Gelaſinus Alexandrinus Patriarcha.

Neq; id tacendum, quod, uti habetur in prædictâ *Arſenij Hieromonachi Conſtantinopolitani* Epiſtolâ, electio Cyrilli ſuſcepta non ſit communi ſuffragio, neq; communi conſenſu Græciæ geſta, quæ ab ipſo geſta ſunt, neq; ſanè pleriſq; conſciis, ſed ignorantibus; imò mirantur Græci, in illa Epiſtolâ, perſuaſionem ejusmodi, *quaſi Græca Eccleſia ita ſtultè & inconſideratè mutata eſſet repentè in novam quandam, & portentoſam hæreſin, unis hactenus Occidentalibus notam, Græcis verò incognitam prorſus, niſi fortè pauciſſimis quibusdam in Italiâ, aut alibi uſpiam educatis & Latino ritu inſtitutis.* Sed cumprimis hic obſervandum, quod *Confeſſio Cyrilli Lucaris geminâ Synodo Græcâ* damnata fuerit, & reprobata: Alterâ ſub *Cyrillo Berrhoënſi* Conſtanti-

ſtantinopolitano Patriarchâ, prioris Cyrilli ſucceſſore, Anno cIↃ IↃc XXXIX. habitâ: alterâ verò ſub *Parthenio* itidem Patriarchâ Conſtantinopolitano cIↃ IↃc XXVI. celebratâ, quæ utraq; multis Patriarcharum, Epiſcoporum & Sacerdotum ſubſignationibus roborata prodiit. In qua poſteriori, teſte Arſenio Hieromonacho, *Calvini hæreſis, ac omnia illius dogmata ac capita, quæ Cyrillus quaſi Græcæ Eccleſiæ nomine profeſſus erat; damnata, & anathemati ſubjecta.*

Nequicquam verò Rivetus (in Dialyſi Grotian. Diſcuſſion.) *Patriarchas iſtoc Pſeudo-Patriarchas* dicit, *Synodosq;* ipſorum ceu *latrocinales, ſubſcriptiones* verò & *ſignaturas famelicorum Graculorum per vim extortas* proclamat, & exauctorationem utriusque cum innocentiâ *Cyrilli Lucaris* à *Cornelio Hagâ* ad portam Ottomannicam Belgii Fœderati legato expediundam venditat. Quicquid enim horum ſit, nunquam docebitur, Græcas Eccleſias *abſolutum Prædeſtinationis decretum* conſenſu ſuo approbare, aut Cyrilli Confeſſionem pro Orientalis Eccleſiæ fide agnoſcere. Et ſine dubio plus fidei *Arſenij*, & aliorum è *Graciâ* relationi habebitur, quàm Reformatorum Batavorum, fimbrias ſuas Calvinianas extendere diſcupientium. Quid quod *Edvardus Brevorodus* de illâ Græcæ Eccleſiæ cum Reformatis conſpiratione prorſus taceat, etſi perquam ſedulò ſcrutetur Religionem Orientis, *Edvinus* verò *Santes* Anglus relatione de religione Græcorũ diſertè diſſenſum Græcæ Eccleſiæ profiteatur. *Longè alius,* inquit, *ſententiæ ſunt Græci, quàm Proteſtantes,* (Reformatos intelligit) *in illo articulo DEUM ſcil. optimum Maximum, ut aliqui* (Proteſtantium) *ſtatuunt, maximam partem hominum ex abſoluto decreto æternùm reprobaſſe. Statuunt enim illi ex adverſo potius, abominandam hanc eſſe ſententiam & horrendam blaſphemiam, divinæ naturæ è diametro repugnantem.* Addit etiam Santes, *Epiſcopum quendam Græcum doctrinam hanc publicè refutaſſe, librumq; illum Genevenſibus transmiſiſſe, quibus hæc doctrina originem ſuam debet.*

Quæ omnia vanam eſſe gloriationem de Conſenſu Orientalium cum Reformatis, abunde teſtantur. Supereſt, ut de noſtrâ adhuc Eccleſiâ diſpiciamus, *an ergò noſtræ potius fidei & confeſſioni accedat, qui in Oriente ſuperat Chriſtianorum cœtus?* Hîc verò mi-

D rum

rum non est applaudere statim *Syncretistas*, & in unam communionem facilè admittere Græcos cum Protestantibus, siquidem *Reformatos* quoque, imo *Pontificios* ipsos, in pluribus, Græcis deteriores, in eandem societatem suscipiant, ac quoad *communionem virtualem* & *internam* Lutheranis concorpores, in fide ὁμοψήφους, in spiritus unitate conjunctos, ejusdem regni Christi cives, ejusdemq; gloriæ cohæredes haud cunctanter faciant. Nota sunt *D. Calixti* hanc in sententiam emblemata, nota studia & molimina, ut istos omnes in unam compingat communionem. Nec obscuræ sunt *Consultationes Cassandri Belgæ*, & Disputationes *M. Antonij de Dominis*, septimo de Republ. Eccl. volum. ejus rei causâ expeditæ, quorum vestigiis presse insistit Calixtus cum sociennis *Drejero*, & præclaro illo parastatâ *Latermanno*. Et sanè nihil exoptatius, nihil ad propagandam gloriam Dei, nihil ad amplianda pomœria Ecclesiæ utilius, nihil ad pacem, quà sacram, quà prophanam commodius esse queat, quam mutua in fundamento fidei, & rebus credendis animorum consensio, quam quis non desideraret, quis non proveheret, quis non summâ animi voluptate, religiosissimâ congratulatione susciperet, atq; amplecteretur? Non dignum certè judicarem Christiani nomine, nedum sanctorum communione, & hæreditate electorum cœlesti. *Beati mites, quoniam terram hæreditabunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Maledicti ergo contentiosi, maledicti omnes qui pacem impediunt, sed pacem Christi, pacem quæ Dei est, & Deo nos unit. *Volumus & nos pacem*, cum Hieronymo, *& non solùm volumus, sed & rogamus, sed pacem Christi, pacem veram, pacem sine inimicitiis, cujus dux & custos est Christus.* Atq; hæc causa etiam fuit, cur nostrates, ante hos *centum* annos, *Demetrium* Constantinopol. cum gaudio susceperint, cur confessionem nostram in Græcam Linguam transferri curarint, eandemq; cum Græcis Ecclesiis communicarint, amicis ad eosdem perscriptis literis. Hæc causa, cur *Illustrissimus Dux Würtembergicus* Anno *quinquagesimo superioris seculi* per *Truberum Carniolanum Augustanam Confessionem*, & *Postilla Lutheri* in sermonem Henetum in Turcarum regnis receptissimum transferri curarit. Hæc eadem causa, cur illustris Baro *Ungnadius* Principi Ge-

orgiano-

orgianorum (Nomen illi erat *Quarnes Atabav*) exemplar August. Confessionis Græcum tradiderit, quod hic in sermonem Ibericum conversum in patriam transtulit, ut nempe ita veritas Evangelica in Oriente etiam, inter medios Saracenos, per Iberiam & Albaniam ad mare Caspium usque propagaretur, & per eandem conjunctio in spiritu, ac vera communio, quæ sine fide nulla est, proveheretur. Hæc pulcherrima causa movit *Tubingenses* Theologos, non sanè ut peterent in communionem Græcorum recipi, nedum ut ipsos judices suæ constituerent fidei, sed ut adversus calumnias, quibus ea Constantinopoli proscindebatur, ipsa sese penes Græcos tueretur, ac puritate virtuteq; suâ gratum illic Christi odorem ad plures spargeret. Quod An. superioris *seculi LXXIV. & seqq.* factum, literis cum Patriarchâ Constantin. amicissimis commutatis. Quâ fini etiam *Compendium Theologiæ D. Jacobi Herbrandi* à *Martino Crusio* in Græcam Linguam translatum, ipsis communicatum fuit: *Si fortè misericors cœlestis Pater* (verba Tubingensium ad Patriarcham hæc sunt) *per dilectum suum Filium, ac Salvatorem nostrum utrobiq; faciat, ut longissimâ licèt locorũ intercapedine dissiti recto tamen de religione sensu propinqui invicem fiant, & Constantinopolis Tubingaq; Christianæ concordiæ & charitatis vinculo mutuo jungerentur, quo nihil optatius contingere posset.* Neque dubium est, virtutem Evangelii, cum per Stephani Gerlachii Baroni Ungnadio ad portam Ottomannicam Legato à sacris, tùm per libros istos Augustanæ Confessionis, & Compendii Theologici sese explicâsse in Oriente, & purioris doctrinæ odorem inter Græcos sparsum fuisse. *Non revertetur vacuum Verbum meum, sed faciet quod volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Neque obscura fructus & efficaciæ istius ex scriptis illis amœbæis Orientis & Occidentis colliguntur documenta, quæ nunquã certè absque voluptate & prolubio animi lego, atq; evolvo: utut dissimulare non possim, Græcos sive *errorum efficaciâ*, sive *malevolorum culpâ*, ulteriorem communicationem abrumpendo, fructus plenissimi, qui inde sperari poterat, proventum non tàm nobis, quàm sibi ipsis subduxisse. De eo certè gaudendum omnibus piis, quod in Græcâ Ecclesiâ in pretio habeantur Scripta *Prophetica & Apostolica*, eaq; *sola*

pro *normâ* atq; *regulâ* ſuſcipiantur, quod *Sacramenta duo*, Baptiſmus & Cœna Domini, quantum ad Subſtantiam, integra, diſpenſentur, non mutilentur; quod *Symbolum Apoſtolicum* & *articuli* eodem comprehenſi cuſtodiantur; quod *Oecumenica VI. Concilia* admittantur, quodq́; præcipua fidei capita pleraq; ſatis dextrè proponantur, quod deniq́; *bonorum operum ſtudium* urgeatur, atq; inculcetur. Atq́; inde gaudere ſe teſtantur Würtenbergici Theologi, quod in multis, Dei beneficio, ſit conſenſus indubius. *Gaudemus ſanè*, ajunt (reſp. I. p. 7.) *cum legimus univerſalem DEI gratiam, univerſalem Chriſti Redemptionem à Græcis adſeri, quod dogma baſis & fundamentum eſt fidei ſalutiferæ.* Nec verò ambigimus, Chriſtum in Oriente per Verbum & Sacramenta ſibi multos lucrifacere, neq́; tantùm in cunis vagire ibi Chriſti Eccleſiam infantum, per baptiſmum initiatorum, ſed adultos quoque complures verâ ſimplicitate verbo adhæreſcere, neque paucorum aures puriores eſſe labiis ipſis Sacerdotum. Penes pleroſq; innoxios fore errores opinamur, qui per traducem propagati, per longam conſuetudinem ipſis hærent, quotquot fidei fundamentum non labefactant, quia ignorantia pravæ διαθέσεως, vel certè pervicacia erroris deeſt, aut ſtipulas errorum ignis tandem conſumit tentationũ. Ideò quemadmodum *in Papatu* ipſo non paucos Chriſto colligi confidimus, etſi non *per Papatum*, ſed per ea quæ in ipſo ſuperant è *Chriſtianiſmo* & *Catholicâ Eccleſiâ*, ita *in Græciâ* tantò magis id ſperare nobis liceat, quantò propius Græci veritati cœleſti accedunt. Neq́; dubitamus, lucis nonnihil quibusdam affulgere, è Patribus Græcis in articulo de juſtificatione, quæ per *ſolam fidem in Chriſtum* obtinetur, cum Patrum Græcorum ſcripta, (quorum nonnulla perquam luculenta ſunt) conſulant. Quid clarius eſſe poteſt *Baſilij M.* ſententiâ Concion. de humilit. *Hæc eſt perfecta & integra gloriatio in Deo, quando non ob ſuam juſtitiam quis ſe jactat, ſed novit quidem ſe vera juſtitia indignum eſſe, ſola autem fide in Chriſtum juſtificatum.* Quid diſertius verbis *Chryſoſt.* de fide & lege: *Illud unum aſſevero, quod ſola fides per ſe ſalvum fecit latronem!* aut illis, qui Comment. in Epiſtolâ ad Roman. occurrunt Homil. VII. *Quæ verò iſta fidei lux eſt? per gratiam Domini ſalvari. Hic virtutem Dei oſtendit, quod*

non ſo-

non solum salvavit, sed & justificavit, & in gloriationem induxit, NULLIS ad hoc usq; operibus, sed FIDEM tantùm eligens. Quamprimum enim homo credidit, confestim simul justificatus est. Et Homil. IIX *Fide salvari eum, qui opem non habet, nihil fortasse fuerit inconveniens. Eum verò qui rectè factis conspicuum se fecerit, non ex ipsis, sed ex fide justum fieri, hoc scil. admirabile est, & quod maximè fidei potentiam manifestat.* Ac deinde: *Fidei siquidem virtutem dehonestat, quisquis legem velut salvantem servat.* Et homil. IX. *Etenim Christus pro nobis mortuus est, liberavitq; nos & adduxit, gratiamq; dedit ineffabilem. Nos verò SOLAM FIDEM* attulimus. Ex his ergò & aliis geminis auro contrà dignis Patrum, qui in summâ penes Græcos autoritate sunt, sententiis, multum ipsis hærere nemo facilè dubitaverit. Unde Græci illi duo, qui Anno 1584. ex Situni Macedoniæ oriundi Gotham venerunt *Stanius Calophetis* & *Theodorus Muscopulus* hanc edidêre confessionem: *χριστὸς ἐστὶν ἀρχὴ καὶ τέλος τῆς δικαιοσύνης τῆς σωτηρίας ἡμῶν. αὐτὸν ἐσταύρωται ὑπὲρ ἁμαρτημάτων ἡμῶν. πίστει δὲ μόνον λαμβάνομεν τὴν δικαιοσύνην οὐκ ἔργοις. ἡ δὲ πίστις ἐστὶ θεμέλιον τῶν καλῶν ἔργων. καὶ ἄνθρωπος δικαιωθεὶς καλὰ ἔργα ποιεῖ, ὡς δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς καλούς.* Quâ confessione nulla potest luculentior, nulla sincerior edi, in hoc doctrinæ capite! *G[illegible] lonas*, Græcus Presbyter Corinthius cum Anno 1582 Gotham veniret, *λύτρον* Turcico Sultano persolvendum collecturus, à ministris Ecclesiæ interrogatus *πῶς δικαιούμεθα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ?* respondit *πίστει.* rursus interrogatus *πίστει καὶ ἔργοις?* *οὐδὲν, ἀλλὰ μόνη πίστει*, quæ itidem responsio prorsus orthodoxa & confessioni nostræ ex asse consona est. Testis utriusq; est *Wolframus* minister Ecclesiæ Gothanæ Centur. V. testimon. de solâ fide. . .

Neque hic tacendum videtur quod in *meritis operum* nullam fiduciam locent Græci, solùm in Dei misericordiâ & unius Christi merito confidant. Quapropter quamvis Patriarcha *Jeremias* & fidei & operibus salutem tribuat, responso tamen secundo (p. 234.) hæc inseruit, *fidei nostræ in solum Christi meritum consonam, fiducia in merita propria planè adversa. Si*, inquit, *vel te ipsum interrogas, vel alium Christianum verum, in quonam habeant, qui conser-*

322

vantur, spem salutis: procul dubio dixerit, nos in solâ Dei misericordiâ spem habere. Ea autem est in Deo peccatorum nostrorum tolerantia. Hac enim nisi erga nos utatur, nemo salvus erit.

Possent plura orthodoxias vestigia è Græcorum Confessionibus adduci, sed aurem mihi vellicat tempus. Quid ergò superest, quàm ut in cõmunionem admittãtur nostram Græcæ Ecclesiæ? Hic verò confiteri oportet, multa adhuc desiderari, Confessio enim integra esse debet, ac per omnia fidei capita sincera: *Fides una est copulativa.* Cum unum negatur, aut evertitur fidei caput, unum dogma fundamentale, unus articulus è Systemate credendorum, hæresis est materialiter; si accedat pertinacia, formalis hæresis est. Omnis hæresis anathemate digna est, nulla in Ecclesiâ sine justâ reprobatione ferenda: nulla hæresis cum fide consistit: Ubi hæresis; ibi communio in fide, ubi unitas spiritualis, ibi concordia ecclesiastica locum non habet. Nec ex unius alteriusque sententiâ æstimanda est fides publica. Ideò aliud est in cœtu hoc vel illo reperiri quosdam fideles, aliud cætum illum veræ Ecclesiæ κριτήρια & notas habere, veram esse Ecclesiam, quæ sine sincerâ verbi prædicatione, ac legitimâ Sacramentorum administratione nulla est. Latere potest invisibilis Ecclesia, ubi visibilis cætus, si notas Ecclesiæ spectes, nihil minus est quàm vera Ecclesia. Anti-Christus ipse in templo Dei sedet, in Ecclesiâ. Ideò ubi Anti-Christus ibi etiam Ecclesia, aliàs non sederet Anti-Christus in Ecclesiâ. Sed & Ecclesia illa per externas notas non est visibilis: Soli DEO cognita, & invisibilis est; uti erat cætus septem millium cultorũ Dei Eliæ tempore. Idem de *Ecclesiâ Græcâ* habendum, in quâ adhuc magnum sibi populum Deum colligere, certum est. Verissimè *Augustinus* Epist. XLII. *semper paleam mixtam tritico esse: quod si aliquando contingat, ut nihil propemodum quàm palea nostris oculis appareat, veram tamen Ecclesiam non in paleâ, sed in granis delitescere.* Habet & Græca Ecclesia *Edomitas* Martyres, qui pro veritate Christianâ (non pro erroribus) vitam ponunt: Habet *Moabitas*, qui Patrum inhærent confessionibus: habet primitias filiorum Ammon, parvulos nempe, qui per Baptismum Christo, ejusq; Corpori Ecclesiæ inseruntur. Nec tamen ideò ab erroribus exitiosis, aut ab hæ-

ab hæresi absolvendæ Confessiones Græcorum publicæ, uti nec decreta Conciliorum Papalium. Errorum ipsorum *pondus & momentum* justâ lance expendendum est. Qui certè probè ponderati non leves inveniuntur. Absit ergò ut in præjudicium cœlestis veritatis, in emolumentum, sed imaginarium, Ecclesiasticæ pacis, hæc enim sine veritate nulla esse potest, errores extenuemus, aut de fidei capitibus *mediis pactionibus* transigamus. Placet *Gerasini Alexandrini* Patriarchæ nuperi vox. *Conjungi cum hominibus alienæ fidei non solùm periculosum esse didicimus à B. Paulo, sed etiam evitandum vehementissimè. Nec do vicissim pacem Christi & in Christo, nisi eo modo, quo illam Christus dat mundo. Periculosâ enim consensione scio melius esse laudabile dissidium.* Num levem existimabimus errorem de negatâ Spiritus S. à Filio processione cum *M. Antonio, Calixto, Maresio, Hornbekio,* qui hactenus Orientem ab Occidente divulsit! *Chus Veschalom?* Cum negatur processio à Filio, negatur *Spiritum S. esse accipere à Filio*, quod è diametro repugnat verbo Christi, *de meo accipiet.* Negatur porrò, *omnia quæ Pater habet, Christum habere*, quia propterea dixit, *de meo accipiet.* Negatur *Spiritum S. æquè Filij esse* uti *Patris Spiritum*, quia hujus est per æternam spirationem. *Periclitatur* denique *realis distinctio Spiritus S. à Filio*, quod fateri coactus est *Hornejus*, Neque sanè vetus Ecclesia hunc embolimæum articulum Symbolo Constantinopolit. inseruisset, nisi eundem pro dogmate necessario habuisset. Neq; *Concilium Alexandrinum* præside *Cyrillo* formulam fidei eam *Nestorio* præscripsisset, *quod Spiritus Sanctus à Christo procedat similiter sicut ex Patre*, si dogma illud citra periculum negari posse credidisset.

Num exigui momenti æstimabimus errorem de *justificatione*, quod *perficiendo, quatenus fieri potest, legem*, ut habet Jeremias Patriarcha, *quæ secundum Spiritum est, justi fiamus & peccata expiemus.* Annon in ipso fundamento errat, qui justificari per opera, & legis impletionem vult? Annon *justitiam propriam erigendo, justitiâ verâ, quæ Dei est, excidit*, docente Apostolo? Num corruptela levis est, cum *opera ad salutem conducere* dicuntur, *solam*

fidem non sufficere, ob quod caput *evacuari à Christo, excidere gratiâ* Galatas pronunciavit Apostolus. At Græci (in respons. p. 231.) utraq; illa *rectam fidem cum operibus, & virtutis opera per fidem propriè ad salutem conducere*, credunt.

Num parum derogatur gratiæ Dei, *Pelagiano* errore de *libero arbitrio*, aut num injuste hæreseos condemnatus est, & anathemate percussus Pelagius? Nemo id, opinor, dicturus est. At quantum absunt à Pelagio Græci, cum profitentur, *hominem habere non minus vim ad eligendum bonum, quàm ad eligendum malum: per se quidem primò per gratiam Dei præcedentem moveri, ut in partem meliorem inclinari incipiat, deinde etiam accedere hominis voluntatem, quæ eligit bonum, eamque in nostris viribus esse positam*. Num innoxia credemus dogmata illa, de *præparationibus & dignitate nostrâ; gratiam non tantùm per se operari in sanctis notitias mysteriorum, verùm etiam cum capacibus cognitionis secundum naturam potentiis, in iis qui digni sunt, alterum proinde alterius indigere, gratiam operum & opera gratiæ*. (l. c. p. 231.) *Etsi gratiâ salvemur, tamen ipsum hominem quoque authorem esse, qui suis rectitudinibus* (κατορθώματα, non merita vocat Jeremias) *ut sudoribus gratiam illã ad se traxit*. (p. 71.) *Dei quidem esse per viam ducere, ut verò digni simus ut manu ejus apprehensa stringamur, studij nostri esse*, (p. 68.) *Eleemosynas & alia bona opera ea esse, ob quæ homo regno cœlesti dignus habeatur*. (p. 66.) Num insuper habenda, cum de communione Sanctorum quæstio est, doctrina illa de *pœnitentiâ*, quod *illa conversione constet, confessione peccatorum, & à malis dissensu, & quod in mysterio, vel Sacramento pœnitentiæ etiam vitæ monasticæ ordo contineatur*. Num *Sacramentorum à Christo non institutorum susceptio & propugnatio* penes Græcos nihil obstabit virtuali communioni cum Ecclesia Catholicâ? Quorum numerum septenarium ne diligentissimus quidem & doctissimus Goar, (Not. in Euchology. Græc. p. 367.) è vetustiori aliquo Græco Doctore, quàm *Simeone Thessal. & Matthæo Blastari*, qué utrumq; post An. Dn. cIↄ vixisse constat, probare potuit, observante *Dallæo* de Confirmat. p. 236. Annon ἐθελοθρησκία damnabilis & exitiosa est, quod *sacrum oleum inter Sacramenta traditum sit*.

tum sit, ut divinæ misericordiæ signum, quod *redemptionis & sanctificationis hominis causâ impertiatur, remissionem peccatorum afferat, & ex infirmitatibus corporis erigat.* Et de chrismate, quod *eodem inungi debeamus, ut chrismatis regii Deificationis fiamus participes.*

Num *transsubstantiationis* dogma, quod à Jeremiâ Patriarchâ propugnatur, Sacramentum, prout à Domino institutum est, *integrum* relinquit, aut sine anathemate ferri debet in Ecclesia? Quid dicemus de *Sanctorum invocatione*, quos Græci ut *opitulatores*, qui *auxilium miseris ferre possint*, venerantur, & adorant. De Mariolatriâ, quam *Simeon Wagnereccius* Jesuita in Mariana Græcorum pietate è XX. divinorum officiorum Tomis operosè produxit. Quum eam non modò ceu *πανα-γίαν* celebrent, & in ordine sacri ministerii invocent, *Deipara super omnes sancta salva nos*, teste Euchologio, sed eidem etiam *particulam panis consecrati* offerant in Sacrificio Missatico, uti Goar, ritum idololatricum prolixè exponit ad Euchol. p. 865. Quid de *adoratione imaginum*, quæ maximè inter Græcos viget? De quo iterum *Goar* audiendus: *Tantum*, inquit, *exhibent Græci sacris imaginibus cultum, ut non minus exemplo fiot, quam admirationi, si tamen pictæ sint, à sculptilibus autem, tanquam ab idolis abhorrent.* At *Idololatriam* omnibus istis committi, è Verbo Dei manifestum, nec à Calvinianis, qui Græcorum communionem ambiunt, unquam negatum.

Nihil adhuc de eo diximus, quod Græcorum plerique *hæresi Eutychianâ* infecti credantur, quæ publico Oecumenici Concilii *Chalcedonensis* decreto *anathemate* percussa fuit: utpote, qui *Jacobytæ* dicuntur, & qui iis gemini censentur, in religione *Cophtitæ, Abyssini, Armenii, & Maronitæ.* Quod enim nonnulli eosdem cum Brevorodo Eutychianas opiniones rejecisse prorsus autumant, id nondum satis certum, aut documentis idoneis de omnibus comprobatum. Nihil de Nestorianis diximus, qui maximam partem Orientis occupare creduntur,

quibus etiam *Indi* Christiani accedunt, *Cyrillum Alexandrinum* damnantes, *Nestorium* & *Diodorum* pro Sanctis habentes. Quæ hæresis ab *Ephesino* Concilio damnata. Et tamen Græcos omnes, sine discrimine, *Calixtus* in communionem admittit. Qui in adserenda bonorum operum necessitate ad salutem, etiam ad *Armenios*, *Gregorianos*, *Æthiopes*, provocat, tanquàm ad fratres & concorpores. Nondum de ἀναβαπτισμῷ, qui in plerisque Græcorum Ecclesiis viget, nondum de *peccatis mortalibus*, quæ nonnulli pro peccatis non habent, nondum de aliis, quæ reprehensionem justam merentur in Græcis, diximus.

Neque verò tempus permittit, ut vel leviter attingamus omnia, quæ hic adduci possent; ex his tamen, quæ dicta sunt, luculentum satis esse dissensum Occidentis ab Oriente, arbitramur; Quod nec Papatus, maximam Occidentis partem occupans, Orientalis Ecclesiæ consensum jactitare possit, ex quo, per ambitionem imprimis Romani Pontificis, divisæ illæ nobiscū contrà Papatum militant, eundemq; anathemate feriunt, ac vicissim ab ipso feriuntur simili anathematis fulmine; neq; Calvini seqvuti castra gloriari habeant de Græcorum ὁμοψηφίᾳ, per *absolutum decretum*, & *errorem sacramentarium*, διὰ πασῶν dissonantes à Græcis, non consonantes. Nostrates autem Ecclesiæ, si à Sectis in Oriente, Jacobitarum, & Nestorianorum abeas, viciniores sanè Græcis sunt, non tamen prius eosdem aut ab hæresi omni absolvere, aut in communionem mysticam admittere possunt, quàm gravissimis erroribus suis, cumprimis de *processione Spiritus S.* de *Justificatione*, de *libero arbitrio*, & de *invocatione Sanctorum* nuncium miserint.

Ratum ergò sit illud *S. Augustini* l. de Ver. Religion. c.V. *Neque in confusione paganorum, neq; in purgamentis hæreticorum, neq; in languore Schismaticorum, neq; in cæcitate Judæorum quærenda est religio, sed apud eos solos, qui Christiani Catholici, vel orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes & recta sectantes. Hæc enim Ecclesia Catholica per totum orbem validè lateq; diffusa,*

omnibus

omnibus errantibus utitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem, cum evigilare voluerint. Utitur enim gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Judæis ad comparationem pulchitudinis suæ. Alios ergò invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit, omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem, sive illi informandi, sive recolligendi, sive admittendi.

Quid ergo restat, quàm ut ad *Orientem ex alto, Christum Jesum* convertamur, *ut oriatur, & luce clariori verbi, instar Phosphori, & stellæ illius, quæ Magis in Oriente affulsit, universis Orientis populis, tum qui prorsus in tenebris sedent, Paganis & Mahumetanis, mortalium miserrimis, tum quos in Græcâ Ecclesiâ non obscurâ luce collustrare dignatus est, dispellat errorum tenebras, per universum terrarum orbem, ut quà sol oritur, quà occidit, Sol justitiæ fulgeat. Inter nos verò lucem verbi nunquam extinguere patiatur, donec illustri suâ ἐπιφανείᾳ lumen gratiæ cum lumine gloriæ electis suis commutet. Illumina, Domine, vultum gratiæ super nos, & salvi erimus!* Conserva capita populi tui, & perpetuâ luce illustra mentes eorum, & familias serenissimas, luce verbi, & Spiritus, luce gratiæ & pacis, luce gaudii & felicitatis omnigenæ. *Serenissimum imprimis, & potentissimum Principem ac DN. DN. JOH. GEORGIUM II. S. R. I. Archi-Marschallum & Electorem, Ducem Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium, &c. &c. Dominum & Nutritium nostrum clementissimum,* cum Conjuge, & Principe utriusque sexus, Matre itidem, ac Fratribus, Sororibusque Serenissimis; Corruscet semper Electoralis domus radiis illustrissimis divinæ gratiæ, & quaqua versum per orbem emittat fulgorem splendidissimum. *Multiplica annos uncti tui, & nunquam non exhilara ipsum lætitiâ vultus tui!* Sit regimen ejus *felix, pacatum, augustum, diuturnum.* Fove denique almam hanc Academiam, & grata largire halcyonia. Emittat porro Sion hæc nostra splendorem verbi, radiisq; veritatis Evangelicæ rutilet per orbem terrarum. Floreat semper,

vigeat, vireat, triumphet, nunquam non benedictionis tuæ rore irrigata, animata, roborata! Benedic omnibus actionibus & institutis nostris, & fac nos omnes vasa misericordiæ tuæ. Ita concinamus hic, & in æternum suavi & Seraphicâ harmoniâ.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehovah Zebaoth, qui est, qui erat, & qui venturus est: Plena sit gloriâ ejus universa terra, nunc & in seculorum secula!

Πρoσφώνησις *ad Dominum* PRO-CANCELLARIUM.

REvertamur nunc ex Oriente ad nostram Wittebergensem panegyrin, & cumprimis ad TE,

Magnifice Dn. RECTOR, *Vir admodum Reverende, Amplissime, Excellentissime, Dn.* JOH. MEISNERE, *S. S. Theologiæ D. & Prof. Publ. celeberrime, Alumnorum Electoralium Ephore gravissime, Pro-Cancellarie eminentissime, Domine Compater, Amice, Collega, & Frater in Christo summoperè honorande, & conjunctissime.*

Quid autem mea velit oratio, verbis multis ut explicem, opus haud arbitror. Loqvuntur vultus, loqvuntur gestus Eorum, qui ad genua Magnific. T. devoluti sunt. Nec enim aliter fas est, quàm per humilitatem conscendere ad sublimitatem, per angusta ad augusta. Præclarè *Augustinus* serm. X. de V. T. *Magnus esse vis, à minimo incipe. Cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Id hactenus etiam curæ fuit Quatuor hisce Viris, Reverendâ dignitate Clarissimis, Spectatâ eruditione præcellentissimis:

DN. FRIE-

DN. FRIEDERICO HOLZMANNO, Veitlamensi Franco, Pastori & Superintendenti Grimmensi.

DN. JOHANNI DEUTSCHMANNO, Jüttrebocensi Saxoni, S. S. Theol. in Academia Professori Publ. extraordinario.

DN. JOHANNI DÜRRIO, Dresdensi Misnico, Concionatori Aulico, Pastori Bartholomæitano, & Superintendenti Servestano.

DN. GEORGIO PREUSSIO, Revalia-Livono, Academiæ Gustavio-Adolphinæ, quæ hodie Revaliæ est, Professori Theologiæ Extraordinario, & Physicæ, ac Logisticæ Ordinario Publico, Collegii Phil. ibidem nunc Decano.

Quapropter pià devotione, & diligentià indefessà, atq; incredibili id egerunt, in Scholis, Academiis & muneribus, quibus fulgent, publicis, ut ab imo ad summum, per gradus omnes, per varia disciplinarum genera, per

ἀσκήματα præclarisſima progreſſi, ad adyta Theologiæ penetrarent, & ad ipſum ſupremum culmen tandem, ductore & promotore Chriſto, conſcenderent. Nec defuit pio conamini ſucceſſus felix. Quales enim ſeſe hactenus geſſerint, non tantùm cathedræ, quas in muneribus publicis animarunt, & auditores, quos informarunt, & Scripta quæ divulgârunt, per Eccleſiam teſtantur, ſed quæ in virenti memoriâ univerſæ Academiæ, & cumprimis Facultatis noſtræ Theologicæ verſantur γυμνάσματα, atque ſpecimina, in *lectione curſoriâ, concione inaugurali, diſputatione ſolemni, & examine rigoroſo* edita, imo templum etiam hoc Academicum, & Parochiale, cum auditoriis Theologicis publicè proclamat. Verbo dicam, digniſſimos eſſe Quatuor hoſce Candidatos, qui laureâ Doctorali coronentur. Abundè utique ſatisfecerunt Collegio noſtro Theologico, neque dubito, id mecum profeſſuram Magnificent. Tuam.

Commemorat alicubi *Auguſtinus* l. XXII. contra Fauſt. c. 83. *viſos abs ſe minio ſcriptos nigros Æthiopes, & atramento candidos Gallos*· neque dubium eſt in omni ſtatuum ordine pingi quandoque rubro colore nigros Æthiopes, & ſcribi atro colore candidos Gallos: cum honoribus muniisque mactantur, nihil minus promeriti. Tales non eſſe noſtros univerſa Academia fatebitur. Non dicam, quomodo ſi in *Orientem* regredi fas ſit, Magnif. Tuæ hîc ſiſtere poſſim Quadrigam Veterum Doctorum Græciæ clarisſimorum, in Candidatis noſtris, & *Epiphanios, Gregorios, Baſilios, Euſebios,* qui ſimul in Eccleſiâ floruerunt, ſimul Eccleſiam Orientis illuſtrarunt, *Occidentali Eccleſiæ*, noſtrisq; oris, divinâ ſe-

cundante

cundante gratiâ, promittere: nec enim id permittit ipsorum modestia: Ominis tamen boni causâ instar quoddam ipsorum me exhibere, dicere mihi liceat: In *Holzmanno* nostro *Epiphanium*, πολυΐστορα, multivariam eruditionem, & eximium adversus hæreticos panarium: quem tamen Linguarum Orientalium accuratiori cognitione Epiphanio palmam præripere certum. In *Deutschmanno Gregorium Theologum*, in quo Ruffinus *Fidem puram, scientiam plenam, vitam probabilem*, Suidas *Philosophiæ peritiam* celebrat, *dicendi promptitudinem* alii commendant, ego cumprimis juxta cum *studio orthodoxias*, *uberem S. literarum scientiam* veneror: idque novello nostro Theologo animitùs precor, ut fructus ferat *Gregorianos, & columna* evadat *Ecclesiæ*: quo elogio celebratum Nazianzenum Eusebio novimus. In *Dürrio Basilium M.* exhibeo, in quo *suavem, & inaffectatum dictionis fluxum, & pietatem, & eruditionem, & acumen, & perspicuitatem, & jucunditatem, & si quam aliam virtutem in Oratore Christiano quis desiderare possit*, deprædicat *Erasmus*, & conjunctam *Hieronymianam Scripturarum cognitionem cum Lactantij felici facilitate*, censet. In *Preussio Eusebium Cæsariensem* sisto: cui *multæ lectionis, & insignis eruditionis* elogium tribuit Ludov. Vives: in omni certè disciplinarum genere versatus, & literarum secularium cognitione affabrè perpolitus fuit, historicus insignis, Philosophus non vulgaris, propugnator denique fidei, postquam consensu orbis in Niceno Concilio ad agnitionem erroris perductus est, haud postremus. Hæc, ut tales esse contendant, & quod augurer, divinâ ope, quam iisdem apprecor, tales ipsos futuros, de Nostris.

Jam, quod in manu ſuâ habet Magnif. T. reverenter abs eadem flagito, ut, quo digniſſimos illos honore judicavit Collegium noſtrum Thologicum, eodem ipſos ornandi publicè, poteſtatem concedere mihi dignetur: quò nempe titulis, inſignibus, & Privilegiis Doctoralibus mactentur, atque coronentur. Agnoſcent hoc ſummum beneficium gratâ, & devotâ mente: atque operam dabunt ſedulam, ut precibus piis, obſervantiâ debitâ, & obſequiis paratisſimis tantam gratiam undiquaq; demereantur.

JOHANNIS MEISNERI, S. S. Theol. D. & Prof. Publ. tunc temporis Rectoris & in hoc actu designati PRO-CANCELLARII

Responsio ad Dominum PROMOTOREM.

PROMOTOR spectabilis,

Vir perquàm Reverende, Amplissime & Excellentissime,

DN. ABRAHAM CALOVI, S. S. Theol. D.

ejusdemq; in illustri Scholâ hac Prof. Publ. celeberrime, Consistorij Electoralis Assessor gravissime, Ecclesiæ Wittebergensis Pastor, vicinarumq;, ut & Circuli Electoralis Superintendens generalis vigilantissime, Domine Compater, Amice, Collega & in Christo Frater summopere semper colende ac honorande,

DUm mihi in præsentiarum dicendi necessitas imponitur, non aliunde exordiendum esse censeo, quàm unde Excellentia Tua dicendi initium fecit.

ſufficere posſit. Equidem cum per univerſam Germaniam tot florentisſimæ Scholæ bellorum impetu & temporum injuriâ ita afflictæ vaſtatæq; ſint, ut mera ſolitudo pasſim conſpiciatur, apud nos contra tãta felicitas eſt, ut innumerabiles eruditorum greges quotannis in orbem Chriſtianum emittantur. Quæ res certè nec induſtriæ aut prudentiæ noſtræ, nec ullis aliis rebus, quas ingenii humani ſolertia præſtare ſolet, ſed ſolius Dei immortalis bonitati unicè adſcribendæ ſunt, ideò benignisſimo Numini pro tantis in nos collatis beneficiis non modo ſummę maximæq; gratiæ agendæ ſunt, ſed etiam idem asſiduè precari oportet, ut bona iſthæc propria nobis ac perpetua eſſe velit, & hanc ſtudiorum alumnam ac matrem celeberrimam impoſterùm quoque florere perpetuò & incrementa capere ſinat, ut de gremio ejus, ſeu, ut ſic dicam, utero, velut ex equo Trojano innumeri Principes doctrinarum omnis generis prodeant, qui literarum, imprimis verò ſacrarum & doctrinæ cœleſtis ſtudia tueantur, & ad ſeram usque poſteritatem, ſi quæ futura eſt, propagent.

Cæterùm de Eccleſiæ Orientalis ſeu Græcæ tàm priſcæ, quàm modernæ ſtatu ac religione, erroribusq; in ea exortis, non pauca hactenus diſputata ſunt, & illud inter cætera quæſitum, utrum doctrinam ab Apoſtolis primùm prædicatam, poſteà verò

ſcri-

ſcriptis comprehenſam, ſartam & incorruptam, teneat, & quomodo ſive inter ſeſe, ſive cum Occidentali Latina, Pontificiâ æquè ac Calvinianâ, aut nobiſcum deniq; conſentiat, vel ab iisdem diſcrepet? Equidem quæ facies ejus tum fuerit, cum Apoſtoli tùm aliis ad docendum neceſſariis dotibus, tùm præcipuè linguarum omnium peritiâ inſtructi ad diſſeminandum toto orbe Evangelium, & Eccleſias primùm plantandas emitterentur, ex hiſtoriâ Evangelicâ notum eſt. Sanè Apoſtolus ipſe jamtum ſuo tempore fidem Chriſtianam non tantùm in Græcia, ſed etiam toto terrarum orbe & apud omnes creaturas pasſim divulgatam eſſe teſtatur Roman. x. 18. *Nunquid non audiverunt? Equidem in omnem terram exivit ſonus eorum (*Apoſtolorum,*) & in fines orbis terræ verba eorum.* Et Col. 1. 23. *Prædicatum eſt Evangelium in universâ Creaturâ, quæ ſub cœlo eſt.* Sed & ipſi illi Apoſtoli ſingulis civitatibus & Eccleſiis Epiſcopos ac presbyteros præficiebant, qui curam illarum, quas ipſi plantarant, gererent, & fideles in doctrinâ ſemel ſuſcepta confirmarent. Quæ deinde ſemper inde usque à principio ſarta & tecta ſervata fuit, & Eccleſiæ ipſæ inter ſe uno charitatis vinculo ſociatæ manſerunt, etſi poſt

11. adv Ruffin. de Ario loquitur, qui, cùm primum in Ecclesiâ illâ locum, quem impotenter ambiebat, tenere non posset, immani ambitione & invidiâ adversus Alexandrum Episcopum abreptus, Artemonis & Paulli Samosateni hæresin ex Orco revocavit, &, ut fieri in hæresibus amat, successu temporis non parum insuper auxit & locupletavit. Ex eo autem tempore non tantùm magnę turbæ excitatæ, sed etiã tot florentes Ecclesiæ, ruptò unitatis vinculo, inter se commissæ, fides ipsa denique mirum in modum labefactata, & obscurata fuit, dum alii parvam, alii magnam, cæteri multò maximam ejus partem in dubium vocarent. Atq; hæ contentiones primùm quidem Ecclesias Græcas à se invicem, deinde Orientem ipsum ab Occidente, tandem verò etiam Septentrionem ab Austro divulserunt. Verumenimverò ut aliàs semper, ita hîc quoq; ἀκοίμητος ille oculus advigilavit, dum omnibus fermè temporibus præstantissimi Ecclesiæ Catholicæ Doctores extiterunt, qui nunc singuli per se, aliquando etiam plures in Conciliis particularibus aut universalibus coacti doctrinam cœlestem unanimi consensu ex indubitatis sacrarum Scripturarum monumentis eruerunt, & ab hæresibus recens exortis vindicarunt, imò adhuc quoque in ipsa Græcia reperiuntur, qui præcipua fidei Christianæ ab antecessoribus prædicatæ & ad nostra tempora usque derivatæ capita

pita

pita inviolata retinent & adversus hæreticos propugnant.

Quomodo verò Ecclesia Occidentalis, imprimis verò Pontificia & Calviniana, ut hodie appellantur, paulatim ab eâ declinarint & hæreses adversus doctrinam à principio prædicatam invexerint, dicendi locus nunc non est, id interim apud omnes constat, tantum ab antiqua Græca & Apostolicâ discrepare, quantum cœlum à terrâ distat. Quæ causa etiam est, quod implacabili odio ab invicem diffideant, & se mutuò hæreseos arcessant.

Quæ omnia cùm copiosè à Tua Excell. explicata sint, non licet ea ulterius prosequi, utiq; si in eam materiam digredi liberet, magnus hîc aperiretur dicendi campus, in quo decurrendo vix dies sufficeret. Potius igitur est, ut id aggrediar, cujus causâ surrexi. Video ante pedes meos procumbentes Viros perquàm reverendos atque eruditissimos, qui summum honoris gradum & testimonium eruditionis in diversis orbis terrarum Academiis comparatæ enixè efflagitant. Ego autem, uti nemini temerè deesse

artiumq; cognitione imparati, non literarum Sacrarum ignari, non certaminum theologicorũ, aut aliarum rerum ecclesiasticarum expertes, sed verò tales, de quibus nihil tàm honorificè dici potest, quin id jampridem virtus eorum in omni genere vitæ spectata superarit, &, ut uno verbo dicam, prorsus tales, quorum nomine Ecclesiæ, cui hunc honorem consecrarunt, gratulari pios omnes decet.

Quod igitur felix faustumq; sit, Ecclesiæ ac Reipubl. Christianæ salutare, Ego JOHANNES MEISNERUS S. S. Theol. D. Prof. Publ. & in hoc actu designatus Pro-Cancellarius, pro eâ, quâ impræsentiarum ex Pontificia, Cæsarea atque Electorali benignissimâ concessione fungor, auctoritate, potestatem tibi concedo plenariam, quanta potest esse maxima, Quatuor hos S. S. Theologiæ Licentiatos, Viros Reverendos atque Excellentissimos

DN. FRIDERICUM HOLZMANNUM, Veitlamensem Francum, Ecclesiæ Grimmensis Pastorem & Superintendentem.

DN. IO-

DN. JOHANNEM DEUTSCHMANNUM, Jütrebocenſem Saxonem, S. S. Theol. in hac Academia Profeß. Extraordinarium.

DN. JOHANNEM DÜRRIUM, Dreſdenſem Miſnicum, Concionatorem Aulicum Anhaltinum, Eccleſiæ Serveſtanæ ad D. Bartholomæi Paſtorem & vicinarum Superintendentem.

DN. GEORGIUM PREUSSIUM, Revaliâ Livonum, in Academiâ Torpatenſi Theol. Profeß. Extraordin. Phyſicæ verò ac Logicæ Ordinarium, & hodie DECANUM.

omnes & ſingulos S. S. Theologiæ Doctores uſitatis ritibus ac ceremoniis creandi, renunciandi ac publicè proclamandi, in nomine SS. & individuæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus Sancti.

Vos verò Excellentisſimi Viri, [illegible]